FLEMING

DE MACARII AEGYPTII SCRIPTIS QUAESTIONES

# DE MACARII AEGYPTII SCRIPTIS QVAESTIONES.

---

**DISSERTATIO INAVGVRALIS**

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

**CAROLVS FLEMMING**

DETMOLDIENSIS.



---

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMXI.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt M. Pohlenz et P. Wendland.
Examen rigorosum habitum est Kal. Febr. a. 1911.

---

Pars dissertationis (cap. 1—3) hic editur. Tota dissertatio germanice versa publici iuris fiet inter opuscula, quae inscribuntur „Neue Studien zur Geschichte der Theologie und Kirche, herausgegeben von N. Bonwetsch und R. Seeberg“.

# Argumentum.

Quod Macarii Aegyptii, Sceticae eremi abbatis, opera, quae et medii aevi saeculis permultum lecta et postquam a Iohanne Pico anno 1559 cum versione latina edita sunt, a viris doctis semper magni aestimata necnon conquisita sunt, magis etiam postremo saeculo virorum doctorum oculos in se converterunt, cum aliorum tum Henrici Iosephi Floss sollertiae debetur, qui nonnullis Macarii operibus usque ad id tempus ignotis publici iuris factis Macarii patris studium denuo excitavit [1]). Primo loco nominamus homilias quinquaginta spirituales, quippe quae notissima sint ex operibus Macarii Aegyptii. Accedunt septem opuscula ascetica, quae diu Macarii auctoritati tributa, postquam Iohannes Semler, celeber saeculi duodevicesimi theologus, a Macario conscripta esse non posse sagaci dissertatione docuit, a compilatore quodam ex Macarii homiliis excerpta esse inter viros doctos constat, praesertim cum codicum testimonium a Flossio erutum sit, quorum in fronte compilatoris nomen, Simeonis Logothetae, legitur, unde simul opuscula decimo saeculo compilata esse certum est. Praeterea nonnullae epistulae exstant Macarii sub nomine proditae, quae a Flossio primum ad codicum fidem editae etiam nunc quaestione indigent.

---

1) Macarii Aegyptii epistulae, homiliarum loci, preces etc. primus edidit H. J. Floss, Bonnae, Coloniae, Bruxellis, 1850. Quae quidem scripta necnon Flossii quaestiones criticae et historicae denuo excusa sunt in editione Macarii Migneana (Patrologia gr. tom. 34, p. 1 et 401 sqq.), cuius paginarum numeris utimur.

Quoniam de epistula magna graeca et latina [1]) infra amplius tractabitur, hoc loco duas alias epistulas nominare satis erit, quarum alterius in codice Bruxellensi 15010 saec. XV. servatae (Migne P. G. tom. 34. p. 441), etsi Macarii nomen prae se fert, argumentum plane a Macarii Aegyptii ingenio alienum est, altera vero, quae legitur in codicibus Vindobonensi 4800 saec. XIV., Bruxellensi 15011 saec. XV (Migne P. G. 34, 443), compilata est ex epistulis latinis modo commemoratis. Denique inter opera Macario Aegyptio vindicata duae preces, sermo de exitu animae, monachorum regula (Migne P. G. 34, 445 sq., 385 sq., 971 sq.) nominanda sunt, quae quin Scetici abbatis nomen iniuria prae se ferant, hodie nemo fere in dubium vocat. Haec sunt scripta, quae Macario abbati Aegyptio tribui solent. Sed multum abest, quin homiliarum auctorem praeter scripta hic nominata nihil amplius scripsisse dicendum sit. Potius infra epistulam Macarii usque adhuc ignotam investigabimus.

## I. Quae ratio intercedat inter homilias epistulamque magnam.

His rebus praemissis statim ad quaestiones ipsas nos vertamus, quibus cum cetera Macarii scripta tum epistula magna graeca haud indigna sunt. Nam etiamsi haud ita difficile est cognoscere, quae ratio intercedat inter epistulam homiliasque, tamen desideratur adhuc quaestio critica, qua haec res plane diiudicetur, eo magis quod non defuerunt viri docti, qui alteri homilias, alteri epistulam tribuendas esse censerent [2]).

Ei viri docti, qui cum Flossio epistulam homiliasque eidem Macario vindicaverunt, codicis Berolinensis nr. 16 auctoritate nisi sunt, in quo epistulae homilias subsequenti haec verba praemittuntur: *τοῦ αὐτοῦ ἁγίου Μακαρίου*

1) Ne lectori dubium sit, de utra epistula in sequentibus quaestionibus res sit, alteram epistulam ‚magnam graecam‘, alteram ‚latinam‘ nominamus.

2) cf. infra p. 11/2.

*ἐπιστολὴ μεγάλη καὶ πάνυ ὠφέλιμος*, cum in fronte homiliarum in eodem codice legatur: *τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Μακαρίου τοῦ Αἰγυπτίου ὁμιλίαι πνευματικαί.* Sed quantacumque auctoritate codex utitur, critica quaestione supersederi nequit, ad quam nunc accingamur ita eam instituentes, ut primum epistulae, deinde homiliarum condicionem perscrutati, quae ratio inter utraque intercedat, disceptemus.

### 1) de epistulae condicione.

Consideremus, quaenam epistula explicentur. Statim ineunte epistula Christianis finis sanctitatis proponitur: Christianum non solum deum in animo habere, sed etiam ipsum cum deo arte coniunctum et quasi conglutinatum esse oportet, ne amplius insidiis diaboli i. e. perturbationibus animi (*πάθη*) obnoxius sit. Nam hominis animus integer a deo procreatus natura sua alienus est a perturbationibus neque recte iudicant, qui animi perturbationes naturales esse contendant. Potius arbitrium hominis libertate et bonum faciendi et malo studendi utitur. Perturbationes autem nihil sunt nisi spiritus mali (*τὰ τῆς πονηρίας πνεύματα* 412 C), qui in corde hominis considunt atque inhabitant, hominesque ex Adami temporibus in Satanae vincula coniecti perturbationibus liberari non possunt, nisi animo Christum ipsum omni immunditia et spiritibus illis expulsis receperunt et mysticam quandam coniunctionem cum coelesti sponso inierunt. Ad hanc quidem vitae perfectionem homo pervenire nequit nisi auxilio dei adiutus, qui spiritum sanctum et gratiam suam homini donat. Nihilominus hominis est strenue contendere, omnes huius mundi res abdicare vitamque abnegare, ut dignus fiat, qui luce divina impletus atque *ἀπάθειαν* adeptus deo similis fiat (— 417 D). Qui vero illa via procedens in animi perfectione profecit, eum omni superbia atque gloriae cupiditate carere oportet, quoniam testimonium Christiani perfecti est humiliorem omnibus se putare neque quicquam sibi sed omnia dei gloriae tribuere (— 421 C).

Hactenus de fine Christianorum praescribitur. Iam auctor, quomodo monachos inter se versari, quales labores

amare, quomodo una currere oporteat, donec ad vitam aeternam perveniant, ostendit [1]). Officia monachorum et praepositorum ita circumscribuntur, ut illi libenter cum humilitate et gaudio praepositorum mandatis obsequantur, hi, ut aequo animo monachos sibi creditos ad rectum vitae finem perducant, commonentur (— 425 B). Monachi cum simplicitate et concordia consuetudinem facientes nihil aliud spectent, nisi ut deum alterque alterum diligant. Deum timere atque amorem erga alterum praestare suprema lex Christianorum est, quae quasi fundamentum in animo substruatur. Christianum hisce virtutibus instructum vigilem esse et animum diligenter custodire oportet, ne diabolus clam animum malas cogitationes inserendo corrumpat. Cum ceteris virtutibus tum orationi Christianus studeat, quae quasi principem locum inter virtutes obtinet, cum eam omnes reliquae virtutes quasi catenae anuli sequantur (— 433 A). Qui orationibus et ieiuniis se dedens ita vitam suam instituit, non caret fructibus, quos oratio fert, i. e. simplicitate humilitate fortitudine innocentia dilectione; oratio autem his fructibus carens vana est neque quicquam nisi inane nomen relinquitur. In virtutibus igitur recte exercendis finis Christiani positus est. Per se quidem ipsum culmen perfectionis homo assequi nequit nisi spiritus sancti gratia adiuvante, qua confirmatus pulcherrimas sanctitatis fruges profert. Hac ratione animum suum integrum deo offert domicilium, quocum divino quodam amore quasi vulneratus coniungi atque in unum confundi cupit (— 437 D). Christianus tali animo instructus facile et libenter omnes huius mundi labores perfert, quin etiam contumelias, persecutiones omnisque generis aegritudines sibi gloriae et gaudio vertit, quia dolores huius temporis nihil valere ad vitam aeternam haud ignorat, quam mercedem Christianis a deo promissam sibi aliquando futuram esse confidit (— 441 A).

En habes summam epistulae brevi explicatam, qua re epistulam arte compositionis haud carere apparet: priore

1) His verbis alteram epistulae partem incipientibus dispositio eorum, quae iam explicabuntur, praemittitur.

parte finis vitae explicatur, posteriore, quomodo vita secundum finem recte instituatur, exponitur. Nec ita male auctor posteriorem partem ita exstruxit, ut quasi ab imo doctrinae suae profectus procederet usque ad summum culmen perfectionis. Quam accurate vero epistula orbem suum conficiat nec altera pars ab altera abhorreat, inde colligas, quod per totam epistulam auctor non desinit Christianos commonere, ut animus malis perturbationibus liberatus integerque restitutus cum deo mystica quadam coniunctione confundatur.

Nec res tantum diligentissime compositae et dispositae sunt, verba quoque ornata et exculta sunt. Ut unum afferam: Artificiosa verborum collocatio, quam Usenerus [1]) his verbis concepit: „Es ist geradezu Regel, daß das Substantivum von seinem Artikel und Attribut durch dazwischentretende Worte, besonders ein Verbum und Zubehör, getrennt wird" ab epistulae auctore diligenter adhibita est [2]). Praeterea in syntaxi enuntiatorum auctor diligenter verba ad regulas grammaticas accomodat neque hic alia illic alia verborum conformatione utitur, id quod in homiliis invenitur [3]). Tantopere igitur epistula orbem suum conficit atque tam diligenter exornata est, ut dubitari nequeat, quin certus homo certo quodam tempore suis cogitationibus usus eam conscripserit, totoque caelo distat illa ab opusculis Simeonis Logothetae, qui homiliarum gravissimas sententias excerpsit et in unum conscripsit.

Quoniam de epistula satis disseruimus, ad homilias nos vertamus.

---

1) Der heilige Theodosios p. X.

2) Ex copia locorum unum affero: 428 C *ἄπιστος γὰρ ὁ τὰς ἀνθρωπίνας ἀντὶ τῶν οὐρανίων θηρεύων τιμάς.*

3) Velut in homiliarum enuntiatis de subiecto neutro plurali promiscue numerus singularis et pluralis verbi praedicatur (4, 2. 7, 8. 11, 3. 12, 16. 14, 7 etc.), in systematis condicionalis enuntiato mox particula *ἄν* ponitur mox omittitur (26, 6, 8, 20. 30, 1. 48, 4. 27, 20). Denique in homiliis mera libido, in epistula diligens ratio in regulis adhibendis observatur. Quantum harum inconcinnitatum codicibus tribuendum sit, tunc demum colligi poterit, si quando codices Macariani per multa bibliotheca dissipati collecti atque collati fuerint.

## 2) De homiliarum condicione.

Primo iam obtutu mirum videtur, quod aliquae homiliae (e. g. 15, 26, 27) multo amplius spatium comprehendunt quam plurimae ceterae; necnon aliae iterum (e. g. 22, 39) ita minutae sunt, ut vix simul has et illas iure homilias vocare possis. Quae cum ita sint, Casimiro Oudino [1]) necessario adstipulari debemus, qui primus homilias, quales nobis praesto essent, proprie non esse homilias ad populum habitas iudicavit. Quodsi idem scriptor homiliarum condicionem ita definit: „Sunt (homiliae) tantum farrago quaedam ab aliquo archimandrita collecta ac privatim composita, quae interdum quidem homilias continet, interdum vero quaestiones varias et responsiones nullam homiliarum speciem habentes, quas consarcinator pro captu absque connexione simul collegit", nostrum erit conquirere, quo iure hoc iudicium severum utatur. Cum Oudino concedimus multas ex quinquaginta homiliis ita comparatas esse, ut optimo iure homiliae nomen et auctoritatem sibi vindicare possint, sed non deesse homilias, de quarum condicione aliter iudicandum sit. Quarum in numero eae potissimum habendae sunt, quibus interrogationes responsionesque intermixtae sunt. Non quo in homiliis interrogationibus locum non esse censeamus. Immo homiliae quaestionibus insertis ipsam speciem veri *ὁμιλεῖν* prae se ferunt neque quicquam obstat, quin Macario ad fratres loquenti interrogationes ab audientibus propositas esse statuamus. Sed in compositione homiliarum offendimur. Non haesitaremus in eo, quod intermissis interrogationibus interdum sententiarum continua expositio interrumpitur, quia hoc consentaneum est neque vitari potest, dummodo interrogationes homiliae verbis excitatae neve argumento plane ab iis alieno essent. Verum tamen haud paucae interrogationes homiliis intermixtae tam contrariae sunt neque quicquam ad argumentum homiliarum faciunt, ut fieri non possit, quin has homilias quae vocantur compilatas esse ex variis interrogationibus partibusque verarum homiliarum cum Oudino

---

1) Migne Patrol. gr. tom. 34, p. 379.

iudicemus. Neque solum in homiliis quaestionibus intermissis, sed etiam in eis, quae interrogationibus vacant, haec inopia compositionis et dispositionis observatur. Hanc rem exemplis nonnullis explanare liceat.

Primum homiliae XX. compositionem consideremus, qua haec exponuntur: Is qui non indutus est vestimento divino atque caelesti, multis precibus deum imploret, ut sibi divinum spiritus sancti vestimentum donet, ne amplius tamquam homo corpore nudato pudore atque infamia prematur. Itaque caveat homo, ne falsa gloriae cupiditate deceptus divinae gratiae vestimento non indigere arbitretur, immo deum orare et obsecrare ne desinat, ut pulchro divinae gratiae vestimento induatur. Sic finitur caput 3. adiecta doxologia finali: *Δόξα τῇ ἀρρήτῳ εὐσπλαγχνίᾳ καὶ τῷ ἀφράστῳ ἐλέει αὐτοῦ.* Insequenti iam capite 4. subito transitu facto de muliere sanguinis fluxu laborante (Matth. 9, 20) narratur, cui homines, quorum animi turpibus cogitationibus impleti sunt, comparantur. Hanc homiliam e duabus partibus, quarum altera ab altera satis aliena est, compositam esse, facile colligitur: Sicut in priore parte (c. 1—3) ubique de vestimento verba fiunt, posteriore vero nusquam, ita in posteriore ubique de fonte vel vulnere turpium cogitationum, in priore vero nusquam legitur, vel sicut in priore parte vestimentum quasi *σφραγίς* est, ita in posteriore mulier sanguinis fluxu laborans. Argumento igitur discrepant partes verbisque *καὶ πάλιν*, *ὥσπερ ἡ αἱμορροοῦσα γυνὴ κτλ.* subito ad novam rem transitus fit. Accedunt argumenta ex forma homiliae petita. Cohortatio, quam in tertio capite legimus: *αἰτήσωμεν οὖν καὶ δεηθῶμεν κτλ.*, nobis finem homiliae indicare videtur. Macarius enim in fine homiliae fratres suos cohortari solet huiusmodi verbis usus: *πιστεύσωμεν οὖν* [1]). Praeterea caput tertium doxologia finitur, qua re insuper finis homiliae ostenditur.

---

1) Haec exempla afferantur: 9, 13 *ἑτοιμάσωμεν οὖν* 18, 11 *παρακαλέσωμεν τοίνυν καὶ σπεύσωμεν.* 20, 8 *πιστεύσωμεν οὖν* 25, 10 *εὐξώμεθα* 30, 9 *προσδεχώμεθα τοίνυν, δεξώμεθα τοίνυν* 38, 3 *παρακαλέσωμεν οὖν* 37, 11 *εὐξώμεθα τοίνυν* 49, 5 *μήτε ἀμελήσωμεν μήτε οὖν ὀκνήσωμεν, παρακαλέσωμεν τοίνυν.*

Ex duabus igitur partibus, quae diversarum homiliarum partes fuerunt, homilia XX. composita nobis esse videtur.

Haud aliter res se habet in homilia XVIII. Primo iterum sententiarum tenorem paucis explicemus: Christianus, qui redundat gratia divina, facile omnes fruges spirituales fert, virtutesque exercens perfectionem adipiscitur; homo vero divitiis divinis privatus nihil proficit in perfectione, quae sententia duabus parabolis illustratur. Itaque Christianus summis viribus contendat, ut spiritus sancti gratiae thesaurum divinum adeptus aliis quoque ex divitiarum copia tribuere possit. Deus enim in omnibus, qui ei adhaerere oratione et precibus student, habitare vult. Sic finitur caput VI. solemni verborum anaphora et doxologia finali adiecta. Sequentibus iam capitibus de varia condicione hominum divino spiritu renatorum disseritur, qui mox in gaudio, mox in lacrimis, mox in exsultatione, mox in humilitate, mox in quiete pacis versantur, quae res antecedentibus capitibus (1—6) nullo verbo tacta est. Haec quoque homilia ex duabus partibus diversis composita est: quae in priore parte (1—6) explicantur capite VI. optime ad finem perducuntur, ita ut alia non exspectes, et quae posteriore parte exponuntur, quamquam haud ita plane aliena sunt ab argumento prioris partis, orbem suum conficiunt nec indigent priore parte homiliae. Alia ex parte in capite VI finem homiliae statuendum esse edocemur et cohortatione *καὶ οὕτως . . . ὠφελήσωμεν* et solemni anaphora et insuper doxologia finali. Accedit quod legentibus nobis verba capitis VII *πρόσωπα δὲ ἐκ τῶν φαινομένων ἐν κόσμῳ ἀπολαύσεων ἐνέγκωμεν καὶ ἐν ψυχῇ ἀναστροφὰς τῆς χάριτος ἐκ παραδειγμάτων μερικῶς ὑποδεικνύντες* auctor antea nondum parabolas attulisse videtur, quales cap. I et IV (*ἢ πάλιν ἑτέρῳ ὑποδείγματι χρησώμεθα*) inveniuntur.

Denique tertio exemplo illustretur, quomodo homiliae compositae sint. Animadvertamus homiliam VII. Ineunte homilia duae parabolae afferuntur: Sicut pauper quidam regiam aulam ingressus conspectu divitiarum et splendoris regiae domus stupore afficitur, vel sicut vir pauper turpisque, cui virgo ditissima et pulcherrima nubit, valde

obstupescit, cum consideret, quo tandem modo id sibi fieri potuerit, haud aliter Christianus, qui caelestem gloriam et splendorem gustavit, dei gratiam et misericordiam admiratur. Narratione hucusque perducta interrogatio: *εἰ σύνεστιν ὁ Σατανᾶς τῷ θεῷ εἴτε ἐν τῷ ἀέρι εἴτε ἐν τοῖς ἀνθρώποις* intermittitur. Hanc quaestionem ad argumentum antecedentis homiliae, si ita antecedens caput dicere licet, nihil facere luce clarius est. Nec aliter res se habet de aliis interrogationibus, quae huic adiectae sunt: *ἐπειδὴ ἡ ἁμαρτία μεταμορφοῦται εἰς ἄγγελον φωτὸς καὶ παρομοία* (restituit Wendland, edit. *παροιμία*) *τῆς χάριτός ἐστι, πῶς ἂν νοήσῃ ὁ ἄνθρωπος τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου; καὶ πῶς δέξεται καὶ διακρινεῖ τὰς τῆς χάριτος* [1]); deinde *καὶ πῶς πίπτουσιν οἱ ἐνεργούμενοι ὑπὸ χάριτος θεοῦ*; deinde *εἰ δύναταί τις διὰ τοῦ φωτὸς ἰδεῖν τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν, ἐπειδή τινες τὴν ἀποκάλυψιν ἀναιροῦσι καὶ λέγουσι διὰ γνώσεως καὶ αἰσθήσεως εἶναι τὴν ὅρασιν*; adde sequentem *εἰ βλέπει τις δι' ἀποκαλύψεως καὶ φωτὸς θεϊκοῦ τὴν ψυχήν*; necnon *εἰ ἔχει μορφὴν ἡ ψυχή* [2]); denique *εἰ ἄλλο ἐστὶν ὁ νοῦς καὶ ἄλλο ἡ ψυχή*; Tantum quidem ex enumeratione interrogationum iam apparet eas, quamquam nonnullae inter se argumento cohaerent, tamen ad homiliae antecedentis argumentum nihil facere. Recte igitur colligimus homiliam quae vocatur ex variis interrogationibus compositam esse.

His igitur exemplis, quorum numerus facile augeri potest, praeter homilias iure homiliae nomen ferentes etiam partes homiliarum tamquam capita doctrinae selecta necnon interrogationes, ad quas loquenti sibi ab audientibus fratribus propositas abbas responderet [3]) a Macario vel quicumque homilias conscripsit, litteris mandatas esse probatur necnon Casimiri Oudini iudicium confirmatur.

Sed in hac re subsistendum non est. Nam quoniam

---

1) Adnotandum nobis videtur in verbis interrogationem sequentibus responsum ad ea, quae interrogata sunt, frustra quaeri. Idem observatur ho. VIII 6.

2) De hac re conferas p. 23 sq.

3) Abbatem ad fratres loquentem interrogationibus, quas ipse verbis suis commoverat, interpellatum esse colligas ex ho. 26, 20/1; 27, 18; 37, 5/6.

homiliae ita comparatae sunt, non in animo auctori fuisse homilias edere pro certo contendi potest. Quin etiam dubium fit, num auctor homiliarum ad fratres habitarum eas ipse conscripserit. Qua de re certum quidem iudicium confici nequit, tamen non Macarium, sed fratrem, dum pater loquebatur, homilias conscripsisse haud veridissimile est. Qua re posita haudquaquam mirum videtur, quod ex parte quidem integrae homiliae, ex parte vero partes tantum homiliarum conscriptae sunt. Nam discipuli Macariani erat gravissima potissimum theologiae magistri capita litteris mandare, et ut fratres verba magistri sapientiae et pietatis plena iterum legentes facilius memoria retinere possent et ne plane oblivione obruerentur. Quae tunc conscripta erant, postea uno libro comprehensa atque a compilatore quodam anonymo, cuius numerum quinquaginta explere intererat, in formam quinquaginta homiliarum redacta sunt.

### 3) Quae ratio intercedat inter epistulam homiliasque.

Examinata igitur epistulae homiliarumque condicione in rem esse nobis videtur indagare, quae ratio intercedat inter epistulam homiliasque et num ab eodem auctore profectae esse videantur. Infra etiam commemorabimus viros doctos recte miratos esse, quod scriptorum ecclesiasticorum, qui de Macarii Aegyptii vita rettulerunt, praeter Gennadium, qui ‚unam tantum epistulam' abbatis Scetici commemoraret, ne unus quidem homilias vel epistulas a Macario conscriptas esse narraverit. Quantum valeat hoc scriptorum silentium infra ostendemus. Hoc loco id tantum refert, quid scriptores ecclesiastici de epistulae homiliarumque auctore iudicaverint. Vetustum huius rei testimonium etsi frustra quaeritur, testimonium tamen saeculi X non deest, quod quaestioni nostrae praemittatur: Simeo enim Logotheta supra iam saepius commemoratus in opusculo ascetico ‚de perfectione animi' conscribendo non solum homiliis,

sed etiam epistula Macarii quasi fonte usus est[1]). Quodsi in opusculis asceticis, quae sub titulo *κεφάλαια τοῦ ἁγίου Μακαρίου μεταφρασθέντα παρὰ Συμεὼν* (sic!) *Λογοθέτου ρν'* edidit, epistulae quoque excerpta inveniuntur, hac re testimonio utimur decimo saeculo, quo Simeon Logotheta floruit, homilias et epistulam eiusdem auctoris habitas esse. Quid recentiores theologi de epistulae auctore iudicaverint, ignoramus praeter testimonium codicis Berolinensis nr. 16, qui saeculo XII vel XIII conscriptus esse videtur. Postquam Flossius epistulam diu oblivione obrutam anno 1850 quasi luci reddidit, inter plurimos quidem viros doctos epistulam homiliasque eidem Macario vindicandas esse convenit, Iohannes de Schubert autem epistulam homiliarum

1) Quomodo opusculi compilator pendeat ab epistula hoc exemplo illustretur:

| ep. 424 A sq. | de perf. an. cap. VIII. |
| --- | --- |
| *κεκτῆσθαι δὲ οὐδὲν χρὴ ἢ ὀνομάζειν ἴδιον παρὰ τὸ κοινὸν πλὴν τοῦ τὸ σῶμα καλύπτοντος ἱματίου.* | *μήτε τινὸς κύριον εἶναι ὅτι μὴ τοῦ ἐνδύματος μόνον.* |
| *καὶ τὸ παρὰ τῶν προεστώτων ἐπιτασσόμενον μεθ' ἡδονῆς καὶ ἐλπίδος προθύμως ἐπιτελῶν καθάπερ εὔνους καὶ ἁπλοῦς δοῦλος τοῦ Χριστοῦ ... ὅπως μὴ ... ἀνθρωπάρεσκος φαίνοιτο σχηματίζων ἑαυτὸν ἐν ὀφθαλμοδουλείᾳ κτλ.* | *ἵνα πάντοθεν ἄνετος ὢν τῶν ἐπιτασσομένων αὐτῷ μόνον μετὰ χαρᾶς ἔχηται ὡς ἄν τις ἀργυρώνητος ὢν πρὸς πάντας.* |
| sequitur Matth. 20, 27 | sequitur Matth. 20, 27 |
| *δεῖ οὖν ... καθάπερ δανείου χρεώστην θεραπεύειν τοὺς ἀδελφούς.* | *μὴ ἐν ὀφθαλμοδουλείᾳ ὡς ἀνθρωπάρεσκος, ἀλλ' ὀφειλέτην ἑαυτὸν διὰ παντὸς ἡγούμενος τῆς διακονίας.* |

Ceterum capita VII—XVII excepto capite XVI, quod insertum est, respondent epistulae verbis (421—432 A). Cur hanc epistulae partem compilator in opusculum suum receperit, facile colligitur ex eo, quod ea, quae hac parte de praepositorum monasteriorum officiis fratrumque consuetudine explicantur, in homiliis fere non inveniuntur. Si hunc opusculi locum contuleris cuum aliis locis opusculorum — ex. gr. de cust. cord. c. XIII, quod plane descriptum est ex ho 19 — non te effugiet compilatorem nescio qua de causa veritum esse enuntiata epistulae integra exscribere atque verba mutare studuisse.

auctori abiudicavit[1]). Itaque res nova quaestione haud indigna esse videtur.

Consideremus, quam accurate epistulae doctrina concinat cum homiliarum praeceptis. Statim ineunte epistula auctor summa auctoritate homini natura liberum arbitrium et bonum et malum faciendi inditum esse contendit, nec aliter homiliarum auctor de hac re iudicat:

| | |
|---|---|
| ep. 412 A *ἐπιγνῶμεν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν τῆς ἐλευθερίας αὐτεξουσιότητα παρὰ τοῦ κτίσαντος ἡμᾶς, ἵν' ἐφ' ἡμῖν ᾖ τὸ* [2]) *καὶ τῶν κρειττόνων ὀρέγεσθαι καὶ τῶν χειρόνων ἀπέχεσθαι.* | ho 15, 36 *ἔχει γὰρ τὴν φύσιν ὁ ἄνθρωπος τοιαύτην ... τοῦ τραπῆναι ἐπὶ τὸ ἀγαθόν, ... ἔχει ἐξουσίαν τοῦ τραπῆναι ἐπὶ τὸ κακὸν* cf. 15,40, 16,1, 27,9—11, 27,21. |

Hominis animus integer a deo procreatus natura plane a perturbationibus liber est:

| | |
|---|---|
| ep. 412 B *καθαρῶν γὰρ καὶ λίαν καλῶν φύσεων δημιουργὸς ὁ θεός* | cf. ho 16, 1 *πᾶσαι αἱ νοεραὶ οὐσίαι, λέγω δὴ ἀγγέλων καὶ ψυχῶν καὶ δαιμόνων, ἀκέραιοι καὶ ἁπλούστατοι ὑπὸ τοῦ δημιουργοῦ ἐκτίσθησαν.* |

Perturbationes autem a Satana, hominum adversario, animis insitae alienae ab hominis animo sunt Christianorumque est spectare, ut *ἀπάθειαν* adipiscantur[3]):

---

1) Schubert, Kirchengeschichte I p. 793, ita iudicat: „Dagegen könnte der große und schöne ... homilienartige Instruktionsbrief für Mönche mit Mahnungen an Vorsteher und Brüder zum rechten Wandel in Einfalt, Liebe und Gebet sehr wohl identisch sein mit dem von Gennadius 10. ausdrücklich als einziges literarisches Erzeugnis des Makarios bezeichneten Brief ad iuniores professionis suae ... er weicht in der Sprache, der Schriftbenutzung und auch in mancher Anschauung von den Homilien ab.

2) Sic scripsi cum Flossio, cod. *ἤτω*.

3) Hic vetustam Stoicorum et Peripateticorum contentionem renovari te moneo. Christianos philosophos Lactantium, Hieronymum, Augustinum hanc litem probe novisse demonstravit M. Pohlenz, Hermes 41 (1906) p. 328 et 343.

ep. 412 C *γίνωσκε τοίνυν μὴ ἡμέτερα εἶναι τὰ ἐναποκεκρυμμένα ἡμῖν πάθη, ἀλλὰ ἀλλότρια.*

cf. ho 15,49 *οὐκ ἴσασι δὲ οἱ ἄνθρωποι, ὅτι ἀπὸ ἀλλοτρίας τινὸς δυνάμεως ἐλαυνόμενοι ταῦτα πράττουσι, ἀλλὰ νομίζουσι φυσικὰ ταῦτα εἶναι καὶ ἀπὸ ἰδίας φρονήσεως ταῦτα ποιεῖν.* cf. ho 4. 8 de liberatione a perturbationibus animi cf. ep. 409 C, 417 C, 437 A, ho 10,2, 21,1, 18,10.

Propterea epistulae auctor acriter eos philosophos impugnat, qui perturbationes animi naturales esse contendunt:

ep. 412 A *ματαιωθέντες γὰρ ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν καὶ σκοτισθέντες κατὰ τὴν ἀσύνετον αὐτῶν καρδίαν φάσκουσι φυσικὰ εἶναι καὶ ἐκ θεοῦ γεγενῆσθαι τὰ πάθη τῆς ἀτιμίας.* 412 B *ἄπαγε, παρακαλῶ, ἄπαγε μηδὲ εἰς ἔννοιαν ἔλθῃς. βδελυκτὸν γὰρ πάσης ἐυσεβοῦς διανοίας τὸ ἄτοπον τοῦτο καὶ εὔηθες δόγμα.*

cf. homiliae 15,49 verba modo descripta . . . *νομίζουσι φυσικὰ ταῦτα εἶναι* . . . cf. 46,3 *καὶ οὐχ ὥς τινές φασι κακοδιδασκαλίαις ὑπαγόμενοι, ὅτι καθάπαξ ἀπέθανεν ὁ ἄνθρωπος καὶ ὅλως οὐ δύναταί τι ἀγαθὸν διαπράξασθαι* cf. 16,1

In hoc fine appetendo animus hominis inde ab Adami peccato insidiis Satanae obnoxius fortiter pugnare debet contra malas cogitationes (*πνεύματα τῆς πονηρίας*) a Satana sibi subditas neque nisi armis Christi instructus insidiis diaboli resistere potest:

ep. 428 B *τὸν γὰρ οὕτως ἔχοντα καὶ μὴ τὴν ψυχὴν ὅλην ἀποδόντα θεῷ μηδὲ πρὸς τὴν ἐκείνου κεκενωμένον*[1] *ἀγάπην εὑρὼν ἐξωπλισμένον ὁ τῆς κακίας τεχνίτης χειροῦται ῥαδίως λογισμοῖς πονηροῖς ὑποσκελίζων.*

ho 15,9 *ὁ πολέμιος κατ' οὐδενὸς παύεται πολεμῶν . . . διὸ καὶ παντὶ ἀνθρώπῳ πολεμεῖν οὐκ ὀκνεῖ,* cf. 5,1, 26,12.

1) Coni. Pohlenz, cod. *κεκυνωμένον*.

ep. 421 A *δεῖ οὖν μηδαμοῦ τὸν τοῦ πόνου τόνον ἐκλύειν μηδὲ ἐξίστασθαι τῶν προκειμένων ἀγώνων.* cf. 429 A, 437 A.

ho 15, 11 *οἱ οὖν τοῦ θεοῦ ἄνθρωποι ὀφείλουσι εὐτρεπίσαι ἑαυτοὺς εἰς ἀγῶνα καὶ ἄθλησιν* cf. ho 3, 4 sq. 15, 28 et saepius.

ep. 420 A *κατ' αὐτῶν* (i. e. *τῶν ἀντικειμένων δυνάμεων*) *ἀναλαβόντες τὴν τοῦ Χριστοῦ πανοπλίαν ἀντιστῆναι ταῖς μεθοδείαις αὐτῶν.*

ho 21, 5 *καὶ οὕτως δεηθεὶς τοῦ κυρίου καὶ λαβὼν ὅπλα ἐξ οὐρανοῦ τοῦ πνεύματος ... καὶ διὰ τούτων ὁπλισάμενος δυνήσεται στῆναι πρὸς τὰς κρυπτὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου ἐν ταῖς ἐνεστώσαις πονηρίαις* cf. 18, 8, 27, 13.

Interdum epistulae homiliarumque verba speciem Pelagianae doctrinae prae se ferunt velut:

p. 421 B *φιλονεικεῖ δὲ μέχρι τῆς τοῦ βίου τούτου τελευτῆς πόνοις πόνους καὶ ἀρετὰς ἀρεταῖς συνάπτων, μέχρις ἂν τίμιον ἑαυτὸν τῷ θεῷ καταστήσῃ διὰ τῶν ἔργων.*

cf. ho 3, 5 *ὀφείλει οὖν εἰς πάντα ἀγωνίσασθαι καὶ ἀθλεῖν· ὁ γὰρ νοῦς, καθὼς πολλάκις εἴπομεν, ἀντίπαλός ἐστι καὶ ἔχει ἰσόρροπον δύναμιν πρὸς τὴν ἁμαρτίαν τοῦ ἀντιλέγειν καὶ ἐναντιοῦσθαι τοῖς λογισμοῖς.*

Anima spiritus sancti virtute perturbationibus liberata divino amore quasi vulnerata cum deo coniungi et in unum confundi cupit:

ep. 416 C *ἡ ψυχή ... μηκέτι κατακυριευομένη ὑπὸ τῆς αἰσχρότητος τῶν λογισμῶν καὶ μοιχευομένη ὑπὸ τοῦ πονηροῦ, μόνου δηλαδὴ τοῦ ἐπουρανίου νυμφίου κοινωνεῖ ... τετρωμένη γὰρ τῇ εἰς αὐτὸν ἀγάπῃ ἐπιποθεῖ καὶ ἐκλείπει, ἵνα τολμήσας εἴπω, εἰς*[2])

cf. ho 18, 10 *ὅταν γὰρ ἡ ψυχὴ πρὸς τὴν τελειότητα τοῦ πνεύματος καταντήσῃ, τελείως πάντων τῶν παθῶν ἀποκαθαρισθεῖσα καὶ τῷ παρακλήτῳ πνεύματι διὰ τῆς ἀρρήτου κοινωνίας ἑνωθεῖσα καὶ ἀνακραθεῖσα*[1]) *καταξιωθῇ πνεῦμα γενέσθαι συγκεκραμένη τῷ*

1) *καί* post. *ἀνακρ.* del. Pohlenz.

2) restitui Alfredo Rahlfs auctore, qui me ad Psalm. 83, 2: *ἐπιποθεῖ καὶ ἐκλείπει ἡ ψυχή μου εἰς τὰς αὐλὰς τοῦ κυρίου* relegavit.

*τὴν πρὸς αὐτὸν ὡς ὡραίαν νοητὴν καὶ μυστικὴν συνουσίαν κατὰ τὴν ἄφθαρτον συνάφειαν τῆς ἐν ἁγιασμῷ κοινωνίας* cf. 437 C *λαβοῦσα* (scilicet *ἡ ψυχή*) *δὲ τὴν τοῦ πνεύματος χάριν καὶ κολληθεῖσα τῷ θεῷ καὶ εἰς ἓν πνεῦμα μετ' αὐτοῦ γενομένη κτλ.*

*πνεύματι κτλ.* cf. 46, 3 (deus) *κολλᾶται τῇ διανοίᾳ αὐτῆς* (sc. *ψυχῆς*) ho 10, 4 *ἔρωτι πνεύματος οὐρανίῳ τετρωμένη καὶ πόθον ἔμπυρον διὰ τῆς χάριτος ἀεὶ ἐν αὐτῇ πρὸς τὸν οὐράνιον νυμφίον ἀνακινοῦσα, ἐπιθυμοῦσα τελείως καταξιωθῆναι τῆς πρὸς αὐτὸν μυστικῆς καὶ ἀρρήτου ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος κοινωνίας κτλ.*

Hac mystica coniunctione imago divina a deo animae impressa malisque cogitationibus deleta restituitur:

ep. 413 D *ἤγουν ἔστιν ἡμῖν φροντὶς ἀνακληθῆναι ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας καὶ φορέσαι τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου, καθὼς ἐφορέσαμεν τὴν εἰκόνα τοῦ χοϊκοῦ κτλ.*

cf. ho 2, 4 (*ἄνθρωπος*) *ἵνα ᾖ ὅλως* (coni. Pasquali, edit. *ὅλος*) *καθαρὸς καὶ φορῶν τὴν ἐπουράνιον εἰκόνα.* cf. ho 11, 4.

En vides summam doctrinae in epistula plane eandem esse atque in homiliis. Huc etiam afferre licet paucos locos epistulae homiliarumque parallelos, quibus quantopere epistula cum homiliis singulis quoque rebus conspiret, ostendatur. Eaedem sententiae hic et illic iisdem testimoniis litterarum sanctarum confirmantur:

ho I, 12 fratres commonentur, ne umquam assidue (*ἀδιαλείπτως*) orare desinant memores Christi spondentis: *πόσῳ μᾶλλον ὁ θεὸς ποιήσει τὴν ἐκδίκησιν τῶν βοώντων πρὸς αὐτὸν νυκτὸς καὶ ἡμέρας* (Luc. 18, 7). Casune fit, quod in epistula (p. 433 B) eadem fere leguntur? *οὕτως ἀποδότω ἑαυτὸν ταῖς εὐχαῖς καὶ νηστείαις κατὰ τὸ αὐτοῦ θέλημα μεμνημένος* [1]) *τοῦ παρακαλοῦντος τὸ ἀδιαλείπτως προσεύχεσθαι καὶ τῇ εὐχῇ προσκαρτερεῖν* [2]) *καὶ τῆς τοῦ κυρίου ἐπαγγελίας* [3]), *ἐν ᾗ φησι πόσῳ μᾶλλον κτλ.*?

1) correxi, cod. *μεμνημένοι.*

2) conieci, cod. *προσκαρτεροῦντες.*

3) conieci, cod. *ταῖς . . . ἐπαγγελίαις.*

Deinde epistula (420 A) docemur nos quidem insidiis (μεθοδείαις) Satanae resistere posse, dummodo arma (πανοπλίαν) Christi capiamus docentis nos „calcare supra serpentes et scorpiones et super omnem virtutem adversarii" (Luc. X 19). Quid quod ho 25, 2 declaratur eum solum adversarios huius mundi superare posse, qui confidat Christo profitenti: „ἰδοῦ, δέδωκα ὑμῖν δύναμιν πατεῖν ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ"? Quid quod auctor pergit: „εἰ γὰρ ἴσχυεν ἡ τῆς ἀνθρωπότητος φύσις ἐκτὸς τῆς πανοπλίας τοῦ ἁγίου πνεύματος στῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου, οὐκ ἂν εἴρητο κτλ."? In testimoniis igitur scriptorum sanctorum afferendis epistula homiliaeque prorsus concinunt.

Accedamus iam ad narrationem virginum prudentium et stolidarum, quam ep. 436 C legimus. Agitur de oratione, summa Christiani virtute, quae quidem nisi eam reliquae virtutes, quas velut fruges fert oratio, sequuntur, nihil proficit neque aliud nisi inane nomen relinquitur. Qui igitur in orationem incumbit, reliquarum autem virtutum expers est, haud multum differt a virginibus stultis, quas cum sponsus adveniret, oleum defecerat. Quam arto vinculo haec virginum narratio cum antecedenti virtutum expositione conexa sit, verbis: οὐ γὰρ εἶχον (sc. παρθένοι) ἐν ταῖς ψυχαῖς τὸ φῶς, τὸν τῆς ἀρετῆς καρπόν necnon paulo inferius σβεσθείσης[1]) αὐτῶν τῆς ἀρετῆς κτλ. probatur. Transeuntibus iam ad homiliam 4, 6 primo quidem obtutu haec narratio multo latius effusa satis abhorrere ab epistulae verbis videtur. Haec res nihil miri in se habet, si tecum reputaveris eandem parabolam alio loco aliter ab eodem auctore explicari posse, prout sententiarum tenor, quo comprehenditur, diversus sit. Sed diligentius nos hunc et illum locum perscrutatos non effugiet re vera explicationem parabolae hic atque illic eandem, verba tantum variata esse. Stultae virgines vituperantur, quod eas oleum defecit. Vim huius vocis olei, quod sicut tota parabola typice intellegi debet, homiliae auctor his verbis explicat: τὸ ἔλαιον τὴν

1) Coni. Pohlenz, cod. σ . . εσθείσης.

*ἄνωθεν χάριν τοῦ πνεύματος*. nec aliter epistulae auctor hanc vocem intellegi vult, qui verbis *οὐ γὰρ εἶχον ἐν ταῖς ψυχαῖς τὸ φῶς, τὸν τῆς ἀρετῆς καρπόν* haec adiungit: *οὐ γὰρ ἐλογίσατο αὐταῖς τὴν σπουδὴν τῆς παρθενίας τοῦ μὴ παρεῖναι τὴν τοῦ πνεύματος ἐνέργειαν*. Apparet igitur in utraque parte, in epistula et homilia, virginibus vitio dari, quod eas gratia spiritus sancti defecisset. Plane eodem igitur consilio haec et illa narratio concepta est nec singula verba discrepant: narratio homiliae his verbis finitur: *διὸ καὶ τοῦ νυμφῶνος τῆς βασιλείας ἀπεκλείσθησαν*, quibus haec epistulae: *καὶ διὰ τοῦτο τοῦ ἄνω νυμφῶνος τὰς ἀθλίας ἀπέκλεισεν* ad verbum respondent. Hi igitur loci, quamquam non plane eundem in modum parabola adhibetur, eiusdem auctoris ingenium produnt atque ipsa diversitas explicationis indicat non ab imitatore nescio quo epistulae locum conscriptum esse. Ne enim ignores, quomodo compilator alius scriptoris vestigia secutus scribat, ad Simeonis Logothetae opusculi, quod inscribitur „de elevatione mentis" caput IV sine delegeris, ubi homiliae locus plane descriptus est.

Quid dicis de hoc alio argumento singularis ponderis? Epistulae auctor col. 432 de virtutibus a Christiano praestandis disserens enumerationem decem virtutum inter se cohaerentium proponit. Idem numerus virtutum legitur ho 40, 1 necnon in opusculis ,de perfectione animi' (c. 16) et ,de custodia cordis' (c. 8). Quomodo loci inter se habeant, ex hac comparatione colligas:

| ep. p. 432 B | ho 40, 1 | de perf. an. 16 | de cust. c. 8 |
|---|---|---|---|
| 1. *ἁπλότης* | 1. *εὐχή* | 1. *εὐχή* | 1. *εὐχή* |
| 2. *ὑπακοή* | 2. *ἀγάπη* | 2. *ἀγάπη* | 2. *ἀγάπη* |
| 3. *πίστις* | 3. *χαρά* | 3. *χαρά* | 3. *χαρά* |
| 4. *ἐλπίς* | 4. *πραότης* | 4. *πραότης* | 4. *πραότης* |
| 5. *διακονία* | 5. *ταπείνωσις* | 5. *ταπεινοφροσύνη* | 5. *ταπείνωσις* |
| 6. *ταπεινότης* | 6. *διακονία* | 6. *διακονία* | 6. *διακονία* |
| 7. *πραότης* | 7. *ἐλπίς* | 7. *ἐλπίς* | 7. *ἐλπίς* |
| 8. *χαρά* | 8. *πίστις* | 8. *πίστις* | 8. *πίστις* |

| ep. p. 432 | ho 40,1 | de perf. an. 16 | de cust. c. 8 |
|---|---|---|---|
| 9. ἀγάπη<br>10. εὐχή<br>καὶ οὕτω ἀλλήλων ἐξηρτημέναι καὶ ἐξαρτήσασαι τὸν ἐχόμενον ἐπ' αὐτὴν ἀνάγουσι τοῦ ποθουμένου τὴν κορυφήν. | 9. ὑπακοή<br>10. ἁπλότης<br>ὡσπερεὶ γάρ τις πνευματικὴ ἅλυσις μία τῆς μιᾶς ἤρτηνται. | 9. ὑπακοή<br>10. ἁπλότης<br>μία τῆς μιᾶς ἤρτηται καθάπερ ἱερά τις σειρά. | 9. ὑπακοή<br>10. ἁπλότης<br>μία ἀπὸ μιᾶς ἤρτηται ὥσπερ ἱερά τις πνευματικὴ ἅλυσις. |

En habes, quam diligenter Simeo Logotheta, opusculorum compilator, homiliae vestigia secutus virtutum ordinem descripserit. Epistula vero sic se ad homiliam habet: Eaedem virtutes in utroque scripto enumerantur, sed ordo inversus est, ita ut epistulae auctor a simplicitate orsus usque ad orationem, quasi ad summum culmen omnium virtutum, ascendat, homilia autem opusculaque ei obnoxia via plane contraria procedant. Epistulam homiliasque tam accurate conspirare ex eis, quae adhuc contulimus, haudquaquam mirum esse potest; sed hic locorum consensus talis est, ut nescio an interpellari possit, hoc ipso exemplo apparere epistulae auctorem homiliarum vestigia pressisse. Huic sententiae opponendum est contrarium virtutum ordinem obstare, quin ita rem esse statuamus. Nam plane intellegi non potest, cur tandem compilator de industria ordinem virtutum hac contraria ratione commutaverit. Accedit quod in homilia opusculisque decem virtutum ordini duodecim vitiorum ordo asseritur, quem in epistula desideramus. Quodsi re vera epistulae auctor ab homiliarum auctore diversus compilator tantum esset, — id quod epistulae condicione, de qua supra disceptavimus, putare vetamur — nonne cupide praeter virtutum ordinem vitiorum quoque seriem attulisset? Haud dubie! Hoc exemplo Simeonis Logothetae satis edocemur.

Finem faciamus huius argumentationis locum afferentes non tam plenum interioris doctrinae quam laetitiae vere Christianae: ep. 437 D legimus: *Χριστιανῶν γὰρ δόξα καὶ τρυφὴ καὶ πάσης ἡδονῆς κρείττων ἀπόλαυσις τὸ μισεῖσθαι*

*διὰ Χριστόν, τὸ ἐλαύνεσθαι*, nec praetermittamus verba sequentia: *ὕβρις πᾶσα καὶ μάστιγες καὶ διωγμοὶ καὶ τὰ λοιπὰ πάθη μέχρι τοῦ σταυροῦ πάντα τρυφὴ καὶ ἀνάπαυσις*. Eundem animum spirant homiliarum verba haec pulcherrima 15, 26 *καὶ αὐτὰ τὰ δάκρυα τρυφὴ αὐτοῖς ἐστιν* necnon 15, 36 *καὶ τὰ δάκρυα τῶν τοιούτων ἄρτος ἐστὶν καὶ τὸ πένθος γλυκύτης καὶ ἀνάπαυσις* (cf. ho 15, 29, 25, 7). Facile concedes hanc confessionem Christiani etiam in miseria et dolore gaudio exsultantis esse eiusdem auctoris.

Ad finem argumentationis pervenimus. Epistulae homiliarumque condicione singillatim perquisita gravissima in epistulae doctrina accurate respondere homiliarum praeceptis cognovimus. Nec summa doctrinae solum hic et illic concinit, sed etiam singuli loci atque ratio in scriptorum sanctorum testimoniis afferendis adhibita plane eadem in utroque opere inveniuntur. Quae cum ita sint, virorum doctorum iudicio adstipulamur, qui epistulam homiliasque eidem auctori adscripserunt.

## II. Num homiliae epistulaque Macario Aegyptio recte adscribantur.

Inter plurimos viros doctos, qui Macarii scriptis operam navaverunt, homilias epistulasque Macario Aegyptio, Sceticae eremi abbati, tribuendas esse convenit, qua in re nisi sunt cum posteriorum scriptorum testimoniis tum codicum fide, quibus Macarius Aegyptius auctor proditur. Sed non defuerunt viri docti, qui gravissimis dubitationibus commoti Macariana scripta monacho Aegyptio abiudicanda esse censerent. Horum in numero rursus Casimirus Oudinus necnon Ioh. Sal. Semlerus, theologus saeculi XVIII notissimus, commemoratione digni sunt, quorum dissertationes criticas iterum excusas in editione Migneana p. 263 sqq. et p. 377 sqq. legas.

Quoniam igitur virorum doctorum sententiae discrepant, operae pretium nobis esse videtur denuo argumenta a viris doctis proposita diligenter in quaestionem vocare. Primum

quidem paucis explicemus, quid de Macarii Aegyptii vita a scriptoribus traditum sit [1]). Natus esse dicitur Macarius Aegyptius paulo ante annum 300 [2]) in superiore Aegypto (Socr. 4, 21 ὁ *μὲν ἐκ τῆς ἄνω Αἰγύπτου ἦν*), unde praeclaro castitatis suae testimonio praebito adulescens triginta annorum profectus est. In eremum Sceticam tunc secessisse videtur, in qua per totam vitam usque ad annum nonagesimum, quo perfecto mortuus esse dicitur, mansit (Pall. l. c. 43 (*Μακάριος Αἰγύπτιος*) ὃς *ἔζησε τὰ σύμπαντα ἔτη ἐννενήκοντα, ἐκ τούτων ἐν τῇ ἐρήμῳ πεποίηκεν ἑξήκοντα ἔτη, τριακονταετὴς ἀνελθὼν νέος*). Monachis, qui tunc Sceticam eremum incolebant, mature virtutibus asceticis praestitisse dicitur, ut propter sapientiam et virtutem *παιδαριογέρων* nominaretur atque quadraginta annos natus presbyteri officio inter Sceticos monachos fungeretur (Soz. 3, 14 *καὶ τεσσαράκοντα ἔτη γεγονότα χειροτονηθῆναι πρεσβύτερον*). Praeter alias virtutes praeclaras velut abstinentiam atque morum integritatem vi miracula faciendi praeditus erat. Nec pauca miraculosa ab eo facta memorantur: Futura praedixisse, homines daemonibus obsessos sanavisse,

---

1) Praeter alia testimonia Palladii Rufini Socratis Sozomeni in censum veniunt; qui quidem scriptores omnes eodem loco vitam et Macarii Aegyptii et Macarii Alexandrini narrant, ita ut interdum narrationes quaedam ab altero Macario ad alterum translatae esse videantur. Praeterea commemorandum est, Palladium et Rufinum discrepare de sede utriusque Macarii. Palladius (hist. Laus. ed Butler p. 44) Aegyptium Sceticae eremi incolam eiusque eremi anachoretarum presbyterum fuisse testatur (p. 47), Alexandrinum autem Cellarum, quae inter eremum Nitriam et Sceticam sitae sunt, presbyterum fuisse prodit (p. 47). Contra Rufinus (hist. mon. ed. Preuschen pag. 28) Macarium Aegyptium Nitriam eremum incoluisse, Macarium Alexandrinum, cui cognomen *τὸν πολιτικόν* indit, Sceticae eremi incolam fuisse refert. Haec discrepantia eo facilius fieri potuit, quod Aegyptius et Alexandrinus saepius ex sua eremo in finitimam commeasse dicuntur, quin etiam Palladio teste (p. 51) Alexandrinus tres cellas, unam in Nitria, unam in Scetica, unam in Cellis habebat. Nos quidem Palladii auctoritate, quam viri docti hucusque secuti sunt, confisi Aegyptium Sceticae, Alexandrinum Nitriae vel Cellarum incolam nominamus.

2) De Macarii aetate constituenda cf. Ruf. l. c. 23, 1 Pallad. hist. Laus. p. 47. Stoffels, Die mystische Theologie Mak. d. Aeg. praef.

quin etiam, ut haeretico cuidam persuaderet, mortuorum resurrectionem futuram esse, mortuum ad vitam revocasse fertur (hist. mon. p. 124, hist. Laus. p. 46). Ceterum omnia, quae de eius consuetudine feruntur, ita miraculosa et prodigiosa sunt, ut vix homiliae epistulaque, quarum doctrina, quamvis referta mystica quadam religionis vi, tamen plane aliena est a rebus miraculosis, a Scetico monacho conscriptae esse videantur. De daemonibus quidem, quibuscum Aegyptius monachus, sicut scriptorum narrationibus docemur, ubique congreditur et pugnat, in homiliis quoque verba fiunt, sed plane alio consilio. Daemones, quales a Palladio et Rufino apophthegmatibusque describuntur, humana specie induti qualibet occasione anachoretas temptare necnon ludibrio habere conantur (Ruf. cap. 23, 5, Migne patrol. gr. t. 34, 240, 245). Daemones vero homiliarum nihil aliud sunt quam malae cogitationes, quae hominum animis inhabitant (cf. ho. 27, 2 *ἡ ψυχὴ παντὶ ἐπεδέδωκεν ἑαυτὴν δαίμονι καὶ φθείρεται ὑπὸ τῶν πνευμάτων*).

Hoc loco etiam pauca verba de apophthegmatibus, quibus de rebus a Macario gestis edocemur, dicenda sunt: primum quidem de graecis a Cotelerio primum editis [1]). Etiamsi pars eorum proprie ‚apophthegmata' sunt, tamen plurima narrationes miraculosae sunt, eiusmodi ut plane quadrent ad narrationes a Palladio Rufinoque traditas. Idem igitur de eis iudicandum est atque de Palladii Rufinique narrationibus: discrepant ab homiliarum doctrina. Praeter haec apophthegmata graeca haud pauca coptica exstant, quae Amélineau primum edidit (Annales Musei Guimet, tom. 25, 1894 p. 118 sqq). In hoc quoque libro duo genera apophthegmatum inveniuntur: minor pars constat in narrationibus miraculosis, quales a Rufino Palladioque traduntur; maior propria praecepta Macarii sunt. Ad homilias ita se habent, ut de abdicatione ubique legatur necnon *ἀπάθεια* finis Christianis appetendus celebretur (p. 173 cf. 197). Quoniam vero harum rerum aliorum quoque scripta ascetica plena sunt, eis confisi praecepta

1) cf. Migne, patrol. gr. t. 34, 229 sqq.

homiliarum auctori adscribere nequimus. At copia pulchrarum parabolarum ad homiliarum auctorem spectare videtur! Verumtamen hac quoque re nihil probatur, quia ea pars doctrinae Macarianae, quae gravissima auctorisque propria est, id est mystica quaedam coniunctio hominis deique atque gratia spiritus sancti in hominum animis operantis, ab illis praeceptis omnino abest. Apophthegmata igitur et graeca et coptica ad Sceticum monachum, qualis a scriptoribus ecclesiasticis describitur, optime quadrant, ab homiliarum vero doctrina abhorrent.

Quodsi accuratius inquirimus, quomodo doctrina homiliarum congruat cum studiis asceticis Sceticorum monachorum, homiliarum auctorem haud imperitum fuisse praeceptorum, quae a Stoicis et Peripateticis proposita sunt, supra (p. 12) cognovimus. Neque solum peritus est illorum doctrinae, sed etiam lites eorum cognovit. Hoc probatur eis, quae de *ἀπάθεια* i. e. de fine Christianis appetendo praescribit, qua in argumentatione auctor hac via procedit: Perturbationibus animum liberare easque radicitus exstirpare propterea Christianum oportet, quia deus, ipse integerrimus et sanctissimus, non nisi in integris hominum animis habitare potest. Nec animi perturbationes naturales sunt homini, sed Satanae dolo animo insitae. Nam deus hominum animos integros procreavit et Adami demum peccato perturbationes in eos irrepserunt. Qui igitur perturbationes animo insitas et naturales esse asseverat, deum, hominum creatorem, accusat, utpote qui perturbationes procreaverit, atque iniustum iudicem declarat, quippe qui cum homines *ἀπάθειαν* appetere iubeat, ea postulet, quae ab illis praestari non possint. Doctrina igitur eorum, qui perturbationes animi naturales esse affirmant, ut plane prava et stulta a Christianis repudianda est (cf. epist. 412 ho 16, 1 necnon alios locos supra (p. 13 sq.) allatos). En vides hominem, qui haud male philosophorum praecepta in suum usum convertit. Nec Stoicorum placita, qualia a Platonicis qui vocantur recentioribus recepta sunt, integra doctrinae suae inseruit, sed ita ad suam doctrinam accomodavit, ut *πάθη* malas cogitationes a satana hominum

animis insitas esse profiteretur. Nec physicae Stoicorum doctrinae ignarus est, quin etiam eam profitetur: ho 4, 9 sic docet: benignus deus corpus assumpsit (*ἐσωματοποίησεν ἑαυτὸν*) atque se ipse imminuit, ut cum creaturis suis, i. e. hominum et angelorum animis, coniungi posset; tunc pergit *ἕκαστον γὰρ κατὰ τὴν ἰδίαν φύσιν σῶμά ἐστιν, ὁ ἄγγελος, ἡ ψυχὴ, ὁ δαίμων· ὅτι κἂν λεπτὰ ὦσιν, ὅμως ἐν ὑποστάσει καὶ χαρακτῆρι καὶ εἰκόνι κατὰ τὴν λεπτότητα τῆς φύσεως αὐτῶν σώματα τυγχάνει λεπτά, ὥσπερ ἐν ὑποστάσει τοῦτο τὸ σῶμα παχύ ἐστιν.* Haec verba plane respondent Stoicorum doctrinae, qui omnibus rebus, quae re vera sint, corpus vel materiam subesse, quae vero materia careant, omnino non esse asseverantes deo atque animae materiam subesse contenderunt [1]). Haec placita, quoniam quarto saeculo Stoicos philosophos non iam fuisse certum est, non nisi ex libris illorum philosophorum hausisse potest. Reputantibus igitur, quantopere homiliarum auctor philosophorum praeceptis eruditus sit, homilias a Scetico monacho conceptas esse haud verisimile nobis videtur, quia, quantum compertum habemus, cum in eis, quae de doctrina et eruditione monachorum Sceticorum nobis tradita sunt, tum in apophthegmatibus Macarii Aegyptii nusquam talis doctrina philosophica invenitur. Hoc quoque non facile explicatur, a quo Macarius Aegyptius, qui in superiore Aegypto natus adulescens triginta annorum in Sceticam eremum confugisse ibique per totam vitam mansisse dicitur, Stoicorum praecepta didicerit. Itaque haud ita verisimile est Sceticum monachum homiliarum auctorem fuisse.

Sed videamus, an dubitationes de Macario Aegyptio homiliarum auctore motae etiam aliunde confirmari possint, atque consideremus, quibus causis Oudinus et Semlerus, viri docti, commoti sint, ut homilias Scetico monacho abiudicarent.

1. Gravissimum argumentum, quo et Oudinus et

---

1) cf. ab Arnim Fragm. Stoicorum II nr. 790 sqq. 1028—1048, Zeller, Philosophie der Griechen I³ 117 ff. Si plura de Macario Stoicorum interprete audire cupis, legas, quae Stoffels (Theolog. Quartalschrift 92 (1910) p. 88 et 243 sqq.) explicavit.

Semlerus usi sunt, inde petitum est, quod scriptorum ecclesiasticorum, qui de Macarii Aegyptii vita multa praeclara et memorabilia referant, ne unus quidem Macarium libros conscripsisse tradat excepto uno Gennadio, qui ‚unam tantum epistulam' abbati Scetico tribuat. Videamus igitur, quanti scriptorum silentium aestimandum sit. Primo loco Palladium et Rufinum testes afferimus, qui multa de Macarii vita tradiderunt, quorum testimonia propterea plurimi habenda sunt, quod alter Macario etiam superstite, alter paulo post eius mortem multum temporis in Scetica eremo cum fratribus Macarii versatus est. Rufinus (hist. mon. p. 86/7 Preuschen) de Macario haec tantum refert: *ὃς πλείστας μὲν δυνάμεις ὥσπερ Ἀντώνιος διεπράξατο ποιῶν ἰάσεις τε καὶ σημεῖα, ἃ οὐκ ἂν φθάνοι τις ἅπαντα ἐξειπεῖν, ὀλίγα δὲ αὐτοῦ τινα μνημονεύσαντες τῶν κατορθωμάτων μετρίως δηλώσομεν.* Iam narrantur nonnulla facta Macarii propter virtutem asceticam et res miraculosas memorabilia. Haud multo plura Palladius narrat (hist. Laus. p. 43/4 ed. Butler): *Τὰ κατὰ τοὺς δύο Μακαρίους τοὺς ἀοιδίμους ἄνδρας πολλὰ καὶ μεγάλα καὶ δύσπιστα ὄντα ὀκνῶ καὶ λέγειν καὶ γράφειν, μήποτε καὶ ψευστοῦ ὑπόληψιν ἀπενέγκωμαι,* necnon paulo inferius *τοσαύτης ἠξιώθη διακρίσεως ὡς λέγεσθαι αὐτὸν παιδαριογέροντα. διὸ καὶ θᾶττον προέκοψε. τεσσαρακονταετὴς γὰρ γενόμενος κατὰ πνευμάτων ἔλαβε χάριν ἰαμάτων τε καὶ προρρήσεων. κατηξιώθη δὲ καὶ ἱερωσύνης.* Iam virtutes asceticae miraculosis narrationibus explicantur. Quodsi uterque auctor ne uno verbo quidem Macarium libros composuisse, quin etiam ne studuisse quidem libris memorat, hac re de Scetici abbatis scriptis dubitare cogimur. Quis enim nisi hi auctores Macarii scripta, si omnino exstitissent, cognovissent? At consulto miracula tantum commemoraverunt, doctrinam silentio praeterierunt? Cur igitur Evagrii, Macarii discipuli, singula opera uterque nominatim enumerat (hist. mon. p. 112, 115, hist. Laus. p. 121)? Quae cum ita sint, iudicium facere licet, si omnino Scetici abbatis scripta fuissent, illos eorum mentionem facturos fuisse non minus quam Evagrii operum. Deinde, quid alii scriptores de Macarii scriptis tradunt? Quid

Cassiani, Socrates, Sozomeni, Nicephori aliique auctores, quorum in scriptis de vita ascetica Macarii legimus, de scriptore Macario produnt? Quid illi Evagrii et Hieronymi, viri clarissimi litterisque eruditissimi? Ne unus quidem nos Macarium Aegyptium homilias vel epistulas conscripsisse docet. Imprimis monendum est Basilium, Gregorium Nyssenum [1]), Gregorium Nazianzenum, Cappadoces magnos qui vocantur, Macarii Aegyptii homilias epistulasque ignorare. Si vero quarto saeculo homiliae epistulaeque Scetici monachi, qui aequalis Cappadocum fuit, exstitissent, certe Cappadoces non effugissent. Propterea homiliarum auctorem post Cappadocum aetatem floruisse verisimile fit. Deinde quid dicis de Suida, qui tam multa vestigia veteris doctrinae servavit? Neque hic ullum verbum facit de scriptis Macarii atque in eodem capite, quo de Macariis disserit, Evagrii opera nominatim commemorat. Hactenus de silentio scriptorum ecclesiasticorum. Consideremus iam, quantum Gennadii testimonium a viris doctis tritissimum valeat. Verba eius haec sunt: „Macarius monachus ille Aegyptius signis et virtutibus clarus unam tantum ad iuniores professionis suae scripsit epistulam, in qua docet illum perfecte posse servire deo, qui conditionem creationis suae cognoscens ad omnes semetipsum inclinaverit labores et luctando atque dei adversum omne, quod in hac vita suave est, auxilium implorando ad naturalem quoque perveniens puritatem, continentiam velut naturae debitum munus obtinuerit". His verbis haudquaquam dubiis Gennadium unam tantum Macarii Aegyptii epistulam cognovisse apparet. Atque ad latinam epistulam sub Macarii nomine traditam Gennadii verba spectare infra firmissimis argumentis ostendemus. Illud autem ex eis, quae supra de epistulae magnae argumento explicavimus, vel nunc apparet, Gennadii verba nullo modo referri posse ad epistulam magnam. Gennadius igitur latinam epistulam

1) De opusculo, quod Gregori Nysseni sub nomine proditum ‚de instituto Christiano‘ inscribitur quodque cum epistula Macarii magna mira quadam ratione conspirat, infra fusius tractabimus.

Macarii novit, reliqua scripta ignorat [1]). At nonne ipsi supra demonstrare conati sumus, non eum ipsum qui homilias habuit, sed fratrem monasterii illas conscripsisse? Nonne hanc ob rem scriptores homilias praeterire poterant? Minime! Nam etiamsi a fratre abbatis litteris mandatae sunt, tamen, si homiliae a Macario habitae erant, Macarius homiliarum a discipulo quodam conscriptarum auctor habendus erat. Si igitur Macarii homiliae a fratre conscriptae in eremo Scetica exstitissent, Rufinus reliquique scriptores eas commemoravissent. Nec opponatur homilias fortasse post mortem Macarii necnon, postquam Palladius et Rufinus in Aegypto versati essent, conscriptas esse. Homiliarum argumentum, etiam interdum verba ita conspirant cum epistula magna, — hoc supra satis probatum est —, ut homilias, dummodo a discipulo Macarii conscriptae sint, non nisi, dum abbas loqueretur, conscriptas esse putandum sit.

Desuntne igitur testimonia scriptorum, quibus Macario Aegyptio scripta tribuantur? Ita esse videtur. At Stoffelsius [2]) testimonium Isaaci Ninivitae, qui exeunte saeculo sexto floruit, affert. In bibliotheca enim orientali ab Assemanni composita (I 448) illum episcopum in libris suis Iohannis Thebaei, Evagrii, Isaiae, Marci, Antonii necnon Macarii ‚testimoniis' usum esse commemoratur. At quaenam scripta Macarii dicta sunt? Quis est qui sciat, an non Isaacus ex apophthegmatibus testimonia petiverit? Vides igitur ex hoc ‚testimonio' nihil de Macarii scriptis confici posse. Immo primus omnium scriptorum, qui Macarii Aegyptii scripta testantur, Simeo Logotheta est, quem

---

1) Quantum Gennadii auctoritas valeat, colligas ex capitibus VII—IX, quibus de monachorum Aegypti Pachomii, Theodosii, Orsiesii scriptis accurate refert, necnon commemoramus illum auctorem Jacobi Nisibenae homiliarum singularum argumenta attulisse (cf. Migne Patrol. gr. 58, 1060 sq.). In eo quidem errat, quod homilias Jacobo Nisibenae vindicat, potius Syro Aphraati tribuendae sunt (cf. Bert, Texte und Untersuchungen herausgegeben von O. v. Gebhardt und A. Harnack III 1888, Heft 3, p. 18).

2) Die mystische Theologie Makarius des Aegypters praef. 13.

saeculo X. ex Macarii homiliis epistulaque ascetica opuscula compilasse atque sub titulo „*κεφάλαια τοῦ ἁγίου Μακαρίου κτλ.*“ edidisse vidimus. Accedunt testimonia Iohannis patriarchae Antiocheni [1]), qui circa annum 1100 floruit, codicumque, qui saeculo XIII exarati sunt. Testimonia igitur scriptorum Macarii Aegyptii ante saeculum decimum frustra quaeruntur. Haec res nimirum eos, qui abbati Scetico homilias epistulasque tribuerunt, non fugit, atque Georgius Pritius (Migne Patrol. gr. 34, p. 368), qui editioni suae testimonia veterum scriptorum praemisit, praeter Suidam Macarii Aegyptii opera ignorantem Iohannis Trithemii tantum auctoritatem afferre potuit, quem quinto decimo saeculo fuisse constat. Quae cum ita sint, dubitare cogimur, an homiliae epistulaeque re vera ab abbate Scetico concepta sint. Sed videamus, nonne hoc argumentum gravissimum etiam aliis confirmari possit.

2. Casimirus Oudinus [2]) propter Pelagianam doctrinam, qua homiliae Gennadiique verba de Macarii epistula facta non plane carere videntur, auctorem, quisquis esset, post ortam Pelagii haeresin scripsisse neque ob eam rem Macarium Aegyptium esse posse censuit (cf. Migne 34, p. 379). Quod quidem argumentum pondere carere nobis videtur, quia, etiamsi illius doctrinae vestigia in homiliis inveniri negari nequit, tamen multum abest, ut auctor noster fidem Pelagianam profiteatur. Pelagii doctrina in eo constat, quod homo ipse suo arbitrio atque sua virtute sanctitatem animi sibi comparare possit neque ad vitam aeternam recuperandam auxilio et gratia dei indigeat. Nihil vero Macarii praeceptis magis alienum est quam haec doctrina. Immo Macarius saepius graviter contendit morum integritatem ab homine ipso sua vi recuperari non posse, sed gratiae divinae deberi (cf. ho 2, 3 *ἀδύνατον οὖν ἐστιν χωρίσαι τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, ἐὰν μὴ ὁ θεὸς παύσῃ καὶ στήσῃ τὸν πονηρὸν τοῦτον ἄνεμον τὸν ἐνοικοῦντα τῇ ψυχῇ καὶ τῷ σώματι, . . . τῷ ἀνθρώπῳ τὸ μὲν θέλειν*

1) *περὶ μοναστικῆς διδασκαλίας* Migne Patrol. gr. 132 p. 1125 A.
2) Migne P. G. 34, 379.

*παράκειται τοῦ εἶναι καθαρὸν καὶ ἄμωμον καὶ ἄσπιλον καὶ μὴ ἔχειν ἐν ἑαυτῷ τὴν κακίαν, ἀλλ' ἀεὶ μετὰ τοῦ θεοῦ εἶναι, τὸ δὲ δύνασθαι οὐκ ἔχει* cf. 21, 5). His verbis satis elucet hominem et facultate et officio uti malas cogitationes animo suo insitas compugnandi, ad expellendas vero et exstirpandas illas voluntatem et studium hominis nihil valere nisi adiuta divino auxilio. Pelagianae igitur doctrinae homiliarum auctorem cum Oudino coarguere homiliarum ipis verbis vetamur. Sed alia argumenta graviora hoc ab Oudino allato non deesse nunc videbimus.

3. In quaestione nostra e re erit indagare, quonam sermone Macarius, monachus Sceticus, usus sit. Linguam copticam in Aegypti finibus viguisse necnon ruri potissimum, unde plurimi in monasteria et eremitarum colonias conveniebant, constat. Commemoramus tantum Antonium, disciplinae monasticae auctorem primarium, cuius discipulus Macarius Aegyptius fuisse traditur [1]), Athanasio teste copticae tantum linguae compotem, graecae vero imperitum fuisse [2]). Deinde admoneo te Pachomii, coenobiorum conditoris primarii, qui item ac discipuli eius coptice loquebatur cuiusque regula coptice concepta erat [3]). Atque Macarium Alexandrinum, qui aequalis necnon amicus Macarii Aegyptii fuisse fertur [4]), coptice locutum esse apophthegmate coptico docemur; in narratione enim Macarii et hyaenae ex historia Lausiaca satis nota, quae quidem a Rufino de Macario Aegyptio refertur, Macarium ab hyaena propter prodigium in catulis factum ovis pelle donatum deum laudasse legimus ‚coptico sermone' [5]), quippe qui animalia quoque mente instruxisset. Sin autem Macarius Alexandrinus, Nitriae eremi incola, coptice loquebatur, nihil verisimilius est quam Sceticae

---

1) Ruf. hist. mon. c. 28, quae res etiam confirmatur vita Macarii coptico sermone conscripta, cf. Amélineau, annales musei Guimet 25, 83 sqq.

2) Vita Antonii c. 43/4 Pallad. hist. Laus. c. 22.

3) Praefatio Hieronymi ad regulam S. Pachomii; Grützmacher, Pachomius u. d. älteste Klosterwesen p. 14.

4) Migne Patrol. gr. 34, p. 249 B, Ruf. hist. mon. p. 92.

5) Amélineau l. c. p. 238 „en langue égyptienne".

eremi quoque abbatem sermone coptico usum esse. Nam amicitia cum Alexandrino coniunctus erat atque magistro Antonio abbate usus erat. Deinde pro certo dici potest inter fratres Macarii Sceticos haud paucos fuisse copticae tantum linguae peritos. Hoc exemplo Antonii et Pachomii docemur, quorum discipulos omnes fere coptice locutos esse constat. Nec monachos inferioris Aegypti sermone discrepasse a monachis Thebaidis inde apparet, quod hos et illos commeasse proditum est [1]. Denique Amélineau recte monuit recensiones apophthegmatum copticas paulo copiosiores esse graecis, unde copticas vetustiores esse graecis verisimile fieri. Quodsi apophthegmata coptica vetustiora sunt graecis, inde Macarii fratres, a quibus apophthegmata tradebantur, coptice loqui solitos esse concludendum est. Quare si minus certum, attamen verisimillimum est Macarium Aegyptium coptica lingua uti solitum esse. Quae cum ita sint, homiliae nostrae vix ab abbate Scetico habitae esse possunt, nisi forte censeas eas ex coptico sermone in graecum translatas esse, id quod homiliis semel perlectis nemo serio contendet [2].

4. Homiliarum auctorem et Macarium Aegyptium discernendos esse hoc tertio argumento etiam confirmari potest. Homilia 5, 9 auctor bis Xanthicum mensem nominat, quod Macedonicum mensis nomen extra Aegypti fines nos delegare videtur. Non quo Macedonica mensium nomina in Aegypti finibus omnino non viguerint. Ptolemaeorum temporibus in hac terra in usu fuerunt nec desunt tituli, quibus haec res probetur [3]. Sed per sequentia tempora Macedonicum hemerologium illic nequaquam valuit. Saeculis post Christum natum disparent illa nomina in Aegypto

---

1) Migne Patrol. gr. 34, 1051 A, 1057 C.

2) Taceri non debet non defuisse virum, qui rem ita esse defenderit. Petrus Possinus (cf. Migne 34, p. 334) homilias non Macarii, sed Antonii, archegetae monachorum, coptice loquentis esse iudicavit, litteris vero graecis mandatas esse a Macario quodam, Antonii discipulo, qui paulo post eius mortem coenobio Pispiritano praefuit. Qua in sententia vereor, ut habeat, qui a parte eius stent.

3) cf. Ginzel, Handb. der Chronologie I 232.

nec ea quarto post Christum saeculo ibi in usu fuisse verisimile est [1]). At — id quod nostra plurimum interest — ubicumque testimonia litterarum titulorumque ex Aegypto orta Macedonicos menses praebent, Aegyptium quoque mensis nomen appositum esse invenimus [2]), quae res consentanea nobis videtur considerantibus Macedonicum hemerologium utpote alienum in nulla Aegypti parte plane pervulgatum fuisse. Homiliae vero 5, 9 verba haec sunt: *οὕτω πάσαις ταῖς φιλοθέοις ψυχαῖς, τουτέστι τοῖς ἀληθινοῖς Χριστιανοῖς, ἔστι μὴν πρῶτος Ξανθικὸς ὁ καλούμενος Ἀπρίλλιος.* Nonne si re vera haec verba in Aegypti finibus dicta vel scripta essent, auctor pro nomine Aprili [3]) Aegyptium nomen Xanthico respondens dixisset? Hac re confisi hunc locum extra Aegypti fines scriptum esse contendere possumus. Neque hic locus solum, sed etiam tota quinta homilia extra Aegypti fines scripta sunt. Nam plane non habemus, cur hunc locum homiliae interpolatum esse dicamus. Quod vero de quinta homilia dicendum est, idem de reliquis quoque homiliis iudicandum erit, nisi forte quis homilias quinquaginta, quae quidem omnes eundem animum spirant eundemque sententiarum tenorem praebent, non cunctas eiusdem auctoris esse posse argumentis comprobaverit.

5. Quartum denique argumentum ex mandatis homiliarum epistulaeque ad fratrum consuetudinem spectantibus repetatur; quae antequam ipsa consideremus, paucis

---

1) Ginzel l. c.; cf. Ideler, Handb. der Chronologie I 140.

2) Ginzel l. c.

3) Quid si auctor, ut erat doctus, nomen latinum ob eam tantum rem attulit, ut in memoriam revocaret veriloquium, quo Aprilis quasi Aperilis dicitur, quia illo mense caelum terra mare aperiatur et „arbores quoque nec minus cetera, quae continet terra, aperire se in germen incipiant“. Macrob. I 12, 14. Doctus autem homo Christianus non diem „resurgentis naturae“, sed „diem resurrectionis“ dicit. Ad illud veriloquium iam altera pars capitis octavi pertinet, ubi haec legimus: *ὥσπερ τὰ δένδρα παρεληλυθότα τὸν χειμῶνα ἐπιθαλψάσης δυνάμεως ἀοράτου ἔκ τε τοῦ ἡλίου καὶ τῶν ἀνέμων ἐκφύει καὶ ἐκβάλλει ὥσπερ ἐνδύματα φύλλα καὶ ἄνθη καὶ καρπούς κτλ.*, qui locus totus apte cum Macrobii verbis comparatur.

explicabimus, qualis eremitarum Aegypti inferioris eremos incolentium consuetudo fuerit. Nitimur in hac re describenda iterum Palladii Rufinique testimoniis, quos diu in illis regionibus versatos anachoretarum vitam et consuetudinem suis oculis cognovisse supra commemoravimus. Ex illorum narrationibus haec fere colligi possunt: Anachoretae, qui mundo abdicato asceseos causa in solitudinem profugerunt, secretis cellis singuli vel etiam bini habitantes vitam virtuti atque pietati deditam degunt. Tantum abest, ut vita consociata utantur, ut sua quisque vitae ratione usus se suo arbitrio ad ieiunia, vigilias, orationes, labores applicet atque suum quisque victum sibi quaerat [1]). Solum die dominica in unum vel, si praesto est, in ecclesiam conveniunt a presbytero, quem ipsi ex senibus inter se creaverunt cuiusque auctoritati se sua sponte subiecerunt, sacramenta accepturi. Reliquis vero diebus tantopere cellis nonnumquam longo intervallo remotis se retinent [2]) suum quisque officium praestans, ut perraro tantum fratres visitatum exeant atque fiat, ut fratrem compluribus diebus ante defunctum in cella inveniant (Ruf. hist. mon. c. 23, 3). Sicut sua sponte ad vitam solitariam se applicaverunt, ita quolibet tempore e solitudine decedere licet. Talibus fere finibus monachorum, qui Nitriam quae vocatur eremum incolebant, vita circumscripta erat. Paulo aliter res est de eremo Scetica, cuius Macarium Aegyptium incolam fuisse cognovimus. Qua in solitudine vastissima planeque avia, cum monachi speluncis cellisque longe remotis vitam degerent [3]), etiam multo minus quam in eremo Nitria communem

---

1) Ruf. hist. mon. 23, 2 *καὶ οἱ μὲν αὐτῶν περὶ τὴν θεωρίαν, οἱ δὲ περὶ τὴν πρακτικὴν ἠσχολοῦντο.* Pallad. hist. Laus. c. 7 *ἐν τῷ ὄρει (τῆς Νιτρίας) οἰκοῦσιν ἄνδρες πεντακισχίλιοι διαφόρους ἔχοντες πολιτείας, ἕκαστος ὡς δύναται καὶ βούλεται.* cf. Sozom. hist. eccl. VI 31, 4. de victu quaerendo cf. Pall. hist. Laus. p. 63 et 120.

2) Ruf. hist. mon. c. 23, 3 *ἀλλ᾽ ἐν ἡσυχίᾳ πολλῇ διάγουσι ἕκαστος καθ᾽ ἑαυτὸν κατειργμένος.*

3) Macarium Aegyptium in vastissima solitudine remotum a fratribus anachoreticam vitam exercuisse apophthegmate graeco (Migne Patrol. gr. tom. 34, p. 240 B) narratur.

monachorum vitam exerceri potuisse elucet atque profecto eos in hanc eremum se recepisse audimus, qui fratrum consuetudinem vitare solique esse vellent. Sceticae igitur solitudinis monachi proprii eremitae erant, quorum numerus quidem mox augebatur, ut eremitarum coloniae fierent [1]). Quantum vero ab huius vitae consuetudine coenobitarum vita a Pachomio primo regulis gubernata abhorreat, vix dici necesse est.

Qua re praemissa, quaenam ex homiliis epistulaque magna de fratrum consuetudine colligi possint, inquiramus. Primum quid homiliae de hac re praebent? Quam pauca de temporibus, locis, persona ex homiliis cognosci possint, supra iam dictum est. Nihilominus haud desunt loci, ex quibus certum quiddam de fratrum vitae ratione confici possit. Eos, ad quos homiliae habitae sunt, monachos fuisse qualibet fere pagina legi potest [2]). Sed quaerendum est, utrum eorum vita coenobitarum an eremitarum more instituta fuerit. Ne responsum retineamus: cum homiliarum tum epistulae locos, quibus de consuetudine et vitae ratione monachorum disseritur, recte interpretantibus Macarii fratres communem coenobitarum vitam exercuisse nobis statuendum est, qua quidem re comprobata facere non poterimus, quin Macario Aegyptio, quem eremitarum Sceticorum coloniae praefuisse ex scriptorum testimoniis constat,

---

1) Quae usque adhuc de monachorum vitae ratione dicta sunt, spectant ad inferioris Aegypti eremitarum colonias, de quibus Palladius et Rufinus narrant. Aliter iudicandum est de ‚L a u r i s‘ quae vocantur Syriae Palaestinaeque, quarum institutiones Cyrillus Scythopolita vitis S. Sabae et S. Euthymii exponit. Haud mirum est, horum monachorum vitam a praeposito diligenter custoditam neque regula carentem certioribus praeceptis gubernatam fuisse, quando quidem res a Cyrillo narratae ad tempora multo posteriora spectant atque in has lauras ei soli monachi recipi solebant, qui in coenobitarum monasterio diu versati quasi ad perfectas animi mensuras pervenissent neque severa coenobitarum regula indigere viderentur (cf. Cyrilli vita Sabae c. 74 Cotelerii eccl. gr. mōn. III p. 349 et vitae Euthymii c. 84. l. c. III p. 275).

2) cf. ho 15, 51, 38, 1, 45, 1, 48, 6 necnon locos haud paucos, quibus verba *μόναχοι, μονάζειν, μονήρης βίος* similia commemorantur,

homilias epistulamque abiudicemus. Animadvertamus igitur homiliarum locos.

Iterum atque iterum abbas a fratribus postulat, ut abdicatis omnibus huius mundi rebus, possessione, parentibus, propinquis, amicis, honoribus nihil aliud agant, nisi ut deo adhaereant eiusque praecepta sequantur. Quod postulatum non solum in futurum quasi spectare, sed fratres, qui una cum abbate vitam degebant, iam se ab omnibus rebus abdicasse ex ho 17, 15 et 27, 18 apertum fit; atque hoc tam saepe et expresse ab omnibus monachis postulatur [1]), ut haec condicio fuisse videatur, sine qua fratres in chorum recipi non possent. Quomodo vero fratres homiliarum auctoris vitam communem instituerint, ho III 1 ostenditur: *οἱ ἀδελφοὶ ἐν ἀγάπῃ πολλῇ συνεῖναι ἀλλήλοις ὀφείλουσιν, εἴτε εὔχονται εἴτε ἀναγιγνώσκουσι τὰς γραφὰς εἴτε ἔργον τι ποιοῦσιν, ἵνα ἔχωσι τὸν θεμέλιον τῆς ἀγάπης πρὸς ἀλλήλους ... καὶ οἱ εὐχόμενοι καὶ οἱ ἀναγιγνώσκοντες καὶ οἱ ἐργαζόμενοι πάντες δύνανται ἐν ἀκεραιότητι καὶ ἁπλότητι διάγοντες μετ' ἀλλήλων ὠφεληθῆναι, ἵνα, ὃν τρόπον οἱ ἐν οὐρανοῖς ἄγγελοι σύνεισιν ἀλλήλοις, οὕτως καὶ οἱ ἀδελφοὶ ὦσι μετ' ἀλλήλων.* En vides, quam graviter illud *συνεῖναι ἀλλήλοις* inculcetur. Haec verba ad Sceticae eremi monachos referri plane nequeunt, immo ad vitam coenobitarum spectant. Quam arte vero Macarii fratres coniuncti esse debeant, eiusdem homiliae capite 2. docemur: *ὀφείλουσιν οὖν οἱ ἀδελφοὶ εἴ τι ποιοῦσι ἐν ἀγάπῃ καὶ χαρᾷ εἶναι μετ' ἀλλήλων, καὶ ὁ ἐργαζόμενος περὶ τοῦ εὐχομένου οὕτως λεγέτω, ὅτι ὃν ἀδελφός μου κτᾶται θησαυρόν, ἐπεὶ κοινός ἐστιν, κἀγὼ ἔχω, καὶ ὁ εὐχόμενος περὶ τοῦ ἀναγιγνώσκοντος οὕτω λεγέτω, ὅτι ὃ ἐκεῖνος ὠφελεῖται εἰς τὴν ἀνάγνωσιν, εἰς ἐμὸν προσχωρεῖ κέρδος, καὶ ὁ ἐργαζόμενος αὖθις τοῦτο λεγέτω, ὅτι τὴν διακονίαν ἣν ποιῶ, κοινή ἐστιν ὠφέλεια.* Verbis iam sequentibus fratrum chorus corporis artubus comparatur, quorum suum quodque officium praestans toti corpori servit. Idem explicatur ho 15, 32 his verbis: *ὅλοι ὡς εἷς φαινόμενοι ὁμοῦ καθεζόμεθα.* Quodsi sine

1) velut ho 11, 7, 17, 15, 27, 18, 43, 3, 49, 1.

opinione praeiudicata haec verba consideras, ad Sceticos monachos minime referri posse concedes. Nam plane apparet rem esse de communi possessione non solum spiritualium sed etiam mundanarum rerum. Quam vero haec vitae ratio a Sceticorum monachorum consuetudine aliena fuerit, quorum quisque sibi ipse vivebat nec alter alteri ita multum consulebat, supra demonstravimus.

Ab homiliis ad epistulam transeamus, cuius secunda pars praecepta de fratrum consuetudine continens sic incipitur: 421 C *δεῖ δὲ λοιπὸν προσθεῖναι τοῖς εἰρημένοις, ὅπως μὲν χρὴ συνεῖναι τοὺς τοιούτους ἀλλήλοις, ὁποίους δὲ ἀγαπᾶν πόνους, ὅπως δεῖ τρέχειν μετ' ἀλλήλων, ἕως ἂν ἐπὶ τὴν ἄνω πόλιν ἀφίκωνται* (cf. ep. 424 A *τὸ κοινὸν τῆς ἀδελφότητος πλήρωμα* et verba *ὁ πνευματικὸς χορός* 424 B, *τὸν ἱερὸν χορὸν* 424 C cf. 425 B, 432 C). Videsne quanto pondere hic quoque convictus monachorum efferatur, quam vero verba ad Sceticorum eremitarum solitariam vitam referri non possint? Sed graviora etiam argumenta continentur his verbis: 424 A *κεκτῆσθαι δὲ οὐδὲν χρὴ ἢ ὀνομάζειν ἴδιον παρὰ τὸ κοινὸν πλὴν τοῦ τὸ σῶμα καλύπτοντος ἱματίου. εἰ γὰρ μηδὲν ἔχει τούτων, ἀλλὰ γυμνὸς εἴη τῆς καθ' ἑαυτὸν τοῦ βίου φροντίδος, τῆς κοινῆς ἔσται χρείας θεραπευτής*[1]). En habes testimonium haud dubium, curam rerum domesticarum et victualium communem fuisse fratribus, ita ut singuli nihil haberent nisi communem possessionem fructumque[2]). Talis vitae oeconomia a coenobitis tantum

1) Quod Palladius hist. Laus. c. VII narrat in Nitriae montibus septem pistrina fuisse, quibus monachis panis compararetur, monendum est, haec in Nitriam eremum spectare non in Sceticam, cuius Macarius Aegyptius incola fuit. Deinde idem auctor aliis locis (p. 63 et 120), sibi quemque monachorum manibus victum quaesivisse dicit.

2) Verba modo allata ad coenobitarum tantum vitam referri posse Cassianum testem affero, qui coenobitarum et anachoretarum officia ita distinguit: coll. XIX 8 „Finis quidem coenobitae est omnes suas mortificare et crucifigere voluntates ac secundum evangelicae perfectionis salutare mandatum (Matth. 6, 25) nihil de crastino cogitare, quam perfectionem a nemine nisi a coenobita impleri posse certissimum est". Anachoretae vero officium sic explicat: „exutam mentem a cunctis

institui potuit planeque aliena est a Sceticae eremi monachorum vita [1]).

Postremum argumentum, quo homiliarum auctorem a Macario Aegyptio discernendum esse confirmetur, hoc afferatur. In epistula saepius (424 AB, 425 B, 436 B) *προεστῶτες* sive *ἐφεστῶτες* nominantur, quorum officium praescribitur, ut fratres sibi creditos ac potestati suae subjectos (*ἀρχόμενοι* 424 C) sapienti consilio ad rectum vitae finem perducant neque, si opus sit, vituperationibus aut adhortationibus aut increpationibus temperent (425 A). Non sine amore et humilitate unicuique consulant singulorum ordinem (*τάξιν* 424 C) diligenter observantes. Fratribus autem, ut praepositorum mandatis libenter obsequantur eisque ut bonis ducibus in vitae itinere perficiendo utantur, imperatur. Unde haud dubium est, quin praepositis potestas fratribus imperandi fuerit fratresque obstricti fuerint, ut praepositorum mandatis oboedirent. Quomodo haec praecepta quadrant ad Sceticae eremi monachos? Presbyteri Sceticae solitudinis, quos *ἐφεστῶτας* sive *προεστῶτας* appellari nusquam legimus, eademne potestate utebantur ac praepositi in epistula nominati? Nequaquam! Nam eremitae, quamquam a presbytero consilia et admo-

habere terrenis, eamque, quantum humana imbecillitas sinit, unire cum Christo".

1) Non omittenda nobis hoc loco videntur verba ho III, 1 versione Iohannis Pici latina haud recte exposita: *συμβαίνει τινὰς εἶναι τριάκοντα ὑπὸ τὸ ἕν, ὅλην τὴν ἡμέραν καὶ τὴν νύκτα οὐ δύνανται προσκαρτερεῖν, ἀλλά τινες μὲν αὐτῶν σχολάζουσι τῇ εὐχῇ ὥρας ἕξ, ἄλλοι δὲ* (conieci: *καὶ* lib. cf. ho 3, 2) *βούλονται ἀναγνῶναι, ἄλλοι δὲ προθύμως διακονοῦσιν, ἄλλοι δὲ αὐτῶν ἐργάζονταί τι ἔργον.* Equidem non dubito, quin verba haec significent: contingere, ut triginta monachi uno coenobio conclusi sint, quorum alius ad aliud negotium se applicet. Fortasse miraberis monachorum numerum, si quanta frequentia (a scriptoribus certo in maius sublata) Aegypti coenobia compleverit, comparaveris (cf. Pallad. hist. Laus. p. 93). Sed relego te ad ‚sermonem asceticum' Basilio Magno tributum (cap. III): *καὶ ὥσπερ ὁ πνευματικὸς νόμος οὐκ ἐλάττονας εἶναι τῶν δώδεκα βούλεται τοὺς τὸ μυστικὸν πάσχα ἐσθίοντας, οὕτως οὐ χρὴ ἐνταῦθα πλεονάζειν μᾶλλον ἢ ἐλθαττοῦσθαι τὴν δεκάδα* (cf. Typicon Irenae Augustae cap. V, Analecta graeca tom. I. Parisiis 1688).

nitiones sibi repetebant, tamen neque senes, quorum ex numero presbyter eligi solebat, quaquam potestate in fratres utebantur neque monachi lege oboedientiae obstricti erant, sed sua sponte et quamdiu placebat, senis auctoritati se subiciebant.

At contra dicat quispiam praecepta epistula exposita ad monasteria, ad quorum monachos epistula missa sit, spectare neque ex ea re necessario concludi posse monasterium auctoris illis praeceptis gubernatum esse. Ad haec respondendum est: Praecepta non solum epistula, sed etiam homiliis contineri, homilias autem ad auctoris fratres habitas esse praeceptaque igitur homiliis proposita a fratribus auctoris praestanda esse. Et quantum ad epistulam pertineat, abbatem ea, quae in monasterio a se gubernato expertus sit, explicare facile colligitur.

Ad finem argumentationis pervenimus. Argumentis a nobis collatis homilias epistulamque magnam, quae opera vulgo sub Macarii Aegyptii nomine feruntur, iniuria Scetici monachi nomen prae se ferre statuere cogimur. Idem iudicandum esse de aliis scriptis ab homiliarum auctore conscriptis, si quae forte exstent, apparet. Sed de hac re infra fusius tractabimus, hoc loco rem commemoravisse satis sit.

## III. Quid de vero homiliarum auctore ex homiliis concludendum sit.

Quoniam opera sub nomine Macarii Aegyptii prodita ab abbate Scetico abiudicanda esse demonstravimus, restat ut, quis tandem vere homiliarum auctor fuerit, quantum fieri potest, indagemus. Macariine omnino nomen scripta recte prae se ferunt? Hoc quidem diiudicari nequit, quia certis argumentis caremus. Quamdiu vero nulla argumenta obstant, quominus homiliarum auctorem Macarium vocemus, non habere videmur, cur ei hoc nomen negemus, eo magis quod, si auctor ille ignotus Macarii nomine utebatur, recentiores facilius, cum verum auctorem ignorarent, homilias epistulasque Macarii sub nomine latas Scetico abbati tribuere

poterant. Nominemus igitur homiliarum auctorem Macarium [1]) sicut usque ad hoc tempus, dum codicibus aliquando cunctis collatis aliud fortasse doceamur.

Nomen quidem ignoti auctoris investigare paulum refert, dummodo personam et res cognitas habeamus. Itaque maioris momenti est disceptare, quanam in regione auctor quaerendus sit, quoque tempore fuerit.

1. In priore quaestione absolvenda iterum confugimus ad Xanthicum illum mensem, quo in homiliis bis nominato auctorem intra Aegypti fines indagare vetamur. Si non in Aegypto, ubi tandem Macarius noster quaerendus est? Ipso Xanthici nomine in Syriam vel Asiam deducimur, quarum in oppidis haud paucis Macedonica mensium nomina in usu fuisse certis titulorum scriptorumque testimoniis constat [2]). At fines Macarii patriae, quam artius circumscribere studemus, etiam ampliores fiunt, si ex Aegypto quasi expulsi in Syriam vel Asiam deicimur! Animadvertamus igitur, nonne ex homiliis indicia afferri possint, ex quibus aliquid de Macarii sede colligatur.

Bis in homiliis (15,46 et 27,22) bellorum a Romanis cum Persis gestorum mentio fit. Haec quoque commemoratio nos Macarii patriam indagantes Aegypti fines ingredi vetat. Quid enim Scetici abbatis interesse poterat fratres suos de pugnis Romanorum Persarumque commonere, quoniam monachorum Sceticorum animos paulum vel omnino non Persarum bellis commotos esse pro certo dici potest? Potius hi loci comprobant sedem auctoris nostri in regione quadam quaerendam esse, quae Persarum regno finitima sit, ut bella Persarum incolis pericula atque terrorem adtulerint. Hac demum re proposita illi homiliarum loci iusta causa utuntur. Ex Aegypti igitur finibus exclusi in orientem solem deduci videmur. Sed hac quoque re haud multum profecimus, quia satis multae urbes Asiae

1) Si in sequentibus Macario nomine utimur, hoc nomen ad homiliarum auctorem pertinere lector meminerit. Sceticus monachus eiusdem nominis non nisi cognomine ‚Aegyptius‘ nominabitur.

2) cf. Ideler Handbuch d. Chronologie I 397, 433, 438. C. F. Hermann, Griech. Monatskunde, Beilage II.

Syriaeque sunt in orientem spectantes, in quibus Macedonica mensium nomina viguerunt. Alia igitur vestigia in homiliis nobis conquirenda sunt, quae sequendo Macarii sedem certioribus finibus circumscribamus. Quam ob rem ad parabolas homiliarum nos vertamus:

ho 42, 1 haec parabola narratur: *ὥσπερ ἐὰν ᾖ πόλις μεγάλη, ἔρημος δὲ ᾖ τῶν τειχέων διαλελυμένων καὶ ὑπὸ ἐχθρῶν ληφθῇ, οὐδὲν τῆς μεγαλειότητος ὄφελος, ζητητέον οὖν, κατὰ τὸ μέγεθος ἵνα ἔχῃ καὶ τείχη ὀχυρὰ πρὸς τὸ μὴ τοὺς ἐχθροὺς εἰσιέναι, οὕτω δὴ καὶ αἱ ψυχαὶ . . . ὡς πόλεις εἰσὶ μεγάλαι.* Adde parabolam ho 15, 47 illi simillimam: *ὥσπερ ἐὰν ᾖ πόλις μὴ ἔχουσα τεῖχος καὶ οἱ λῃσταὶ εἰσέρχονται δι' αὐτῆς, ὅθεν θέλουσι, μὴ ἐμποδιζόμενοι καὶ ἠρεμοῦσι καὶ ἐμπυρίζουσι κτλ.* Nonne monasterium abbatis haec verba facientis finitimum fuisse videtur urbi altis moenibus munitae saepiusque insidiis hostium oppressae?

Deinde Macarius in homiliis saepius (ho 15, 8; 27, 20; 40, 4) de theatro loquitur, quod Christianis vitandum esse monet. Haec quidem abbatis cohortatio tum tantum iusta causa utitur, si monasterium Macarii haud procul ab urbe quadam, in qua theatrum erat fratribus notum, situm fuit.

Singulari quaestione dignae sunt duae parabolae, quas hic affero: ho 15, 8 *καὶ γὰρ ἔπαρχοι καὶ κόμητες φόρους διδόασι τῷ βασιλεῖ, ἀλλ' οὗτος θαρρῶν τῷ πλούτῳ αὐτοῦ καὶ τῷ χρυσῷ καὶ τῷ ἀργυρίῳ ὡς ἐκ τῶν περισσευμάτων αὐτοῦ ποιεῖται τὰς συντελείας οὐ ζημίαν ἡγούμενος* necnon insequenti capite *ὃν δὲ τρόπον οἱ εἰσερχόμενοι εἰς τὸ παλάτιον πρὸς τὸν βασιλέα κόμητες μὲν ὄντες καὶ ἔπαρχοι ὑπὸ φόβον πολύν εἰσι, πῶς τὰς ἀποκρίσεις δώσουσι καὶ μὴ ἐν τῇ ἀπολογίᾳ πταίσαντες εἰς λόγον καὶ τιμωρίαν ὑποβληθῶσι, ἄγροικοι δὲ καὶ ἰδιῶται ὄντες οἱ μηδέποτε θεασάμενοι ἄρχοντα ἐν ἀμεριμνίᾳ διάγουσι, οὕτω καὶ δὴ κτλ.* Quin verbo *βασιλεύς* imperator Romanus quarto post Chr. n. saeculo sic graece appellatus indicetur, et quin *ἔπαρχοι* et *κόμητες* legati Romani et ‚comites' imperatoris sint, in dubium vocari nequit. De magistratibus igitur Romanis res est. Macariusne vero officia praefectorum imperatori Romano rerum

a se gestarum rationem reddentium fratribus quasi rem notam proponere potuit, nisi monasterium eius haud procul situm erat a sede legati Romani?

Parabolis modo allatis alia adiungenda est, qua ipsa quoque res Romanae explicantur: Ad gradus Christianorum perfectionis illustrandos auctor haec explicat. 15,42 *ὁ θέλων μαθεῖν γράμματα ἀπέρχεται καὶ μανθάνει τὰ σημεῖα, καὶ ὅταν γένηται ἐκεῖ πρῶτος, ἀπέρχεται πρὸς τὴν σχολὴν τῶν Ῥωμαϊκῶν καί ἐστιν ὅλων ἔσχατος. πάλιν ἐκεῖ ὅταν γένηται πρῶτος, ἀπέρχεται πρὸς τὴν σχολὴν τῶν γραμμάτων καί ἐστι πάλιν ἐκεῖ ὅλων ἔσχατος, ἀρχάριος. εἶτα ὅταν γένηται σχολαστικὸς, ὅλων τῶν δικολόγων ἀρχάριος καὶ ἔσχατός ἐστιν. πάλιν ὅταν ἐκεῖ γένηται πρῶτος, τότε γίνεται ἡγεμών, καὶ ὅταν γένηται ἄρχων, λαμβάνει ἑαυτῷ βοηθὸν τὸν συγκάθεδρον.* Hac parabola accurate describitur, quales gradus eruditionis puero summos magistratus appetenti percurrendi sint. Puer primo *σημεῖα* i. e. elementa graeca discit, deinde, ut litteris Romanis erudiatur, in scholam *τῶν Ῥωμαϊκῶν* transit [1]), itaque progreditur singulos gradus ascendens usque ad summum honorem, quo *ἄρχων* et *ἡγεμών* utuntur. Haec igitur parabola spectat ad urbem Romanam, in qua scholae et graecae et latinae erant, quibus pueri honoribus studentes erudiebantur. Ad urbem Romanam verba quoque supra commemorata (ho 5, 9) *Ξανθικὸς ὁ καλούμενος Ἀπρίλλιος* spectant. Nomen enim latinum scriptor tum tantum adicere potuit, si monasterium eius in finibus coloniae Romanae, in qua latina lingua vigebat, situm erat.

Complectamur iam paucis, quidnam parabolis de Macarii sede edoceamur: 1. Monasterium situm erat haud procul ab urbe firmis moenibus munita, 2. haec urbs colonia Romana erat, 3. in hac urbe theatra, scholae Romanae necnon sedes legati Romani erat. Ad quam urbem haec omnia spectant? Hoc diiudicari nequit. Tamen tacendum nobis non videtur, omnes res modo commemoratas optime quadrare in urbem Bostram, provin-

1) cf. Wilamowitz, Lesebuch p. 400 Text.

ciae Arabiae Romanae caput, in qua Macedonica mensium nomina valuisse constat [1]). Bostra enim Ammiano Marcellino teste (XIV, 8, 13) ‚murorum firmitate cautissima' erat. Bostra celeberrima provinciae Arabiae urbs erat. Bostrae urbis ruinae nunc detectae duo theatra Romana ostendunt [2]). Bostra sedes legati Romani erat [3]). Denique non dubium esse potest, quin Bostrae in urbe schola Romana fuerit.

Sed caveamus, ne Bostram patriam Macarii nostri fuisse pro certo contendamus, quamquam rem ita esse haud plane veridissimile est. Nam vix negari poterit, praeter Bostram etiam alias urbes Asiae vel Syriae esse, in quibus Macedonica mensium nomina viguerint ad quasque parabolae supra commemoratae referri possint. Qua de re, quoniam certis argumentis caremus, certum iudicium fieri non posse dolendum est.

2. Bellis Persarum iam ad alteram quaestionem, quam nobis proposuimus, deducti sumus. Ad aetatem Macarii circumscribendam hi loci homiliarum afferendi sunt:

Bella Persarum his verbis commemorantur (ho 15,46): *εἰ δὲ ἔθνος μέγιστον πρὸς ἴσον ᾖ καὶ ὁ βασιλεὺς πρὸς βασιλέα, λέγω δὴ ὁ Περσῶν καὶ ὁ Ῥωμαίων, ἀνάγκη πᾶσα τοὺς δύο βασιλεῖς κινηθῆναι μετὰ τῶν στρατοπέδων ὅλων* (cf. ho 27, 22). Haec verba quin ad gravissimum Romanorum Persarumque bellum spectent procul dubio est. Plus quidem e verbis enucleari nequit. Quoniam pugnae Romanorum Persarumque inde a clade Valeriani anno 259 ad Edessam accepta usque ad saeculum sextum fuerunt, hac ratione temporis spatium quamvis amplum invenimus, intra quod Macarium nostrum fuisse nobis putandum est.

Iam de persecutionibus Christianorum ab homiliarum auctore saepius commemoratis quaerendum est. Primo hos locos inspiciamus: ho 15, 12 *ὁρᾷς τοὺς προφήτας,*

---

1) Ideler Handbuch d. Chronol. I 436/7. C. F. Hermann, Griech. Monatskunde p. 84.

2) Benzinger apud Pauly-Wissowa R. E. III 791.

3) Pauly-Wissowa ibidem.

*πῶς ἐδιώκοντο ὑπὸ τῶν ὁμοφύλων δι' ὅλου, εἰς οὓς ὅμως ἐνήργει τὸ πνεῦμα. ὁρᾷς, πῶς ὁ κύριος, ὅστις ἐστὶν ὁδὸς καὶ ἀλήθεια, οὐχ ὑπὸ ἄλλου ἔθνους ἐδιώχθη, ἀλλ' ὑπὸ τῶν ἰδίων, ὑπὸ τῆς ἰδίας φυλῆς τοῦ Ἰσραὴλ ἐδιώχθη καὶ ἐσταυρώθη. ὁμοίως καὶ οἱ ἀπόστολοι· ἐξ οὗ γὰρ ὁ σταυρός, μετῆλθε τὸ πνεῦμα τὸ παράκλητον καὶ ἐχώρησεν εἰς τοὺς Χριστιανούς. λοιπὸν οὐδεὶς Ἰουδαίων ἐδιώχθη, ἀλλὰ μόνον Χριστιανοὶ ἐμαρτύρησαν· διὸ οὐκ ὀφείλουσι ξενίζεσθαι, ἀλλὰ ἀνάγκη διώκεσθαι τὴν ἀλήθειαν.* Huic loco adiungamus alterum simillimum: ho 17, 14: *Ὅτε οἱ Ἰουδαῖοι ἐκράτουν τὴν ἱερωσύνην, καὶ ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἔθνους ἐδιώκοντο καὶ ἐθλίβοντο, ἐπειδὴ εἱστήκεισαν ἐν τῇ ἀληθείᾳ, Ἐλεάζαρος καὶ οἱ Μακκαβαῖοι. Νῦν δὲ ἐπειδὴ ἀπὸ τοῦ σταυροῦ καὶ τοῦ καταπετάσματος ἀνεχώρησεν ἐξ αὐτῶν τὸ πνεῦμα, λοιπὸν ὧδε ἀπεκαλύφθη καὶ ἐνεργεῖ ἡ ἀλήθεια. Πάλιν οὖν ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἔθνους διώκονται. Ἐξ αὐτοῦ δὲ τοῦ ἔθνους ἐδιώκοντο καὶ ἐθλίβοντο, ἵνα γένωνται μάρτυρες οἱ φιλαλήθεις. Πῶς γὰρ φανήσεται ἡ ἀλήθεια, εἰ μὴ ἔχει τοὺς ὑπεναντίους ψευδεῖς ὄντας καὶ κατὰ ἀληθείας τρέχοντας. Εἰσὶ δὲ καὶ ἐν τοῖς ἀδελφοῖς βαστάζοντες πάθη καὶ θλίψεις, πολλῆς δὲ χρήζουσιν ἀσφαλείας, ἵνα μὴ πέσωσιν.* Locis hic allatis id commune est, ut verba *ὑπὸ τῶν ὁμοφύλων, ὑπὸ τῶν ἰδίων, ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἔθνους* non sine gravissimo pondere dicantur, ita ut auctor de persecutionibus a Christianis contra haereticos excitatis loqui videatur. Sed certum iudicium ex his verbis conficere nequimus. Nec necessario inde concludi potest, quamquam verba *εἰσὶ δὲ καὶ ἐν τοῖς ἀδελφοῖς κτλ.* hoc persuadere videntur, Macarii temporibus persecutiones Christianorum commotas esse Macariumque ipsum martyres cognovisse. Immo de his rebus iudicium in medio relinquendum est. At etiam alium locum homiliarum huc referre possumus. ho 27, 14 auctorem de perfectione Christianorum sic loquentem audimus: *ἐγὼ δέ σοι λέγω, ὡς εἶδον ἀνθρώπους εἰς ὅλα τὰ χαρίσματα γενομένους καὶ μετόχους πνεύματος. καὶ οὗτοι μὴ φθάσαντες εἰς τὴν τελείαν ἀγάπην ἔπεσον. εἷς γάρ τις τῶν εὐγενῶν ἀποταξάμενος ἐπώλησεν αὐτοῦ τὰ ὑπάρχοντα, ἠλευθέρωσε δούλους ὢν φρόνιμος καὶ συνετός, λοιπὸν περιβόητος ἦν ἐπὶ σεμνῷ*

βίῳ, καὶ ἐν τῷ μεταξὺ οἰηθεὶς περὶ ἑαυτοῦ καὶ τυφωθεὶς τέλος κατέπεσεν εἰς ἀσελγείας καὶ μυρία κακά. 15. ἄλλος ἐπὶ διωγμοῦ ἔδωκεν ἑαυτοῦ τὸ σῶμα, καὶ ὢν ὁμολογητὴς μετὰ ταῦτα εἰρήνης γενομένης ἀπελύθη καὶ ἦν ὀνομαστός· τὰ γὰρ βλέφαρα αὐτοῦ ἦν βλαβέντα, ἐπειδὴ ὑπεκαπνίσθη. Οὗτος λοιπὸν δοξαζόμενος καὶ καλούμενος εἰς τὰς εὐχάς, λαμβάνων σιτίον ἐδίδου τῷ παιδὶ αὐτοῦ, καὶ οὕτως ἦν ὁ νοῦς αὐτοῦ, ὡς μηδέποτε ἀκούσας λόγον θεοῦ. Ἄλλος ἔδωκε τὸ σῶμα αὐτοῦ ἐπὶ διωγμοῦ καὶ ἐκρεμάσθη καὶ ἐξέστη, εἶτα ἐβλήθη εἰς τὴν φυλακήν. Ὑπηρέτει οὖν αὐτῷ κατὰ πίστιν κανονική τις, καὶ ποιήσας συνήθειαν μετ' αὐτῆς ὢν ἐν τῇ φυλακῇ ἐξέπεσεν εἰς πορνείαν. Ἰδὲ ὁ πλούσιος ὁ πωλήσας τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ καὶ ὁ δοὺς τὸ σῶμα αὐτοῦ εἰς μαρτύριον, πῶς ἔπεσεν. 16. Ἄλλος δέ τις φρόνιμος ἀσκητὴς συνών μοι ἐν τῇ οἰκίᾳ καὶ μετ' ἐμοῦ εὐχόμενος οὕτως ἦν πλούσιος ἐν τῇ χάριτι ὡς εὐχόμενος ἐγγύς μου κατανύττεσθαι. κ. τ. λ. Quid his verbis de Macarii aetate edocemur? Quattuor exempla Christianorum animo quamvis perfecto peccantium afferuntur. In secundo et tertio de Christianis persecutione afflictis res est. Statim quaerimus: Cognovitne Macarius hos martyres? Hoc procul dubio esse videtur propter verba ἐγὼ δέ σοι λέγω, ὡς εἶδον et ἀσκητὴς συνών μοι ἐν τῇ οἰκίᾳ καὶ μετ' ἐμοῦ εὐχόμενος. Verumtamen his verbis nihil certi colligi potest, nisi quod Macarius primum et quartum ex monachis, quos commemorat, cognovit. Utrum duos Christianos persecutione afflictos cognoverit, an de illorum laboribus ab aliis tantum audiverit, in medio nobis relinquendum est. Deinde quaerendum est, quaenam persecutio Christianorum dicta sit. Haec quoque res vix diiudicari potest. Primum quidem ad magnas Christianorum persecutiones necnon ad eas potissimum, quae a Diocletiano Galerioque imperatoribus annis 303 usque ad 311 excitatae sunt, deduci nobis videmur. Si ita est, Macarium nostrum exeunte quarto saeculo floruisse statuemus, et quia persecutio ab eo narrata multis annis ante facta esse videtur et quia nihil obstat, quin confessores illos adulescentes afflictos esse Macariumque admodum

adulescentem cum illis iam senescentibus convenisse iudicemus. At iam diximus incertum esse, num Macarius illos ipse cognoverit. Nec verba auctoris necessario ad persecutiones Diocletiani Galeriique referenda sunt. Nam quidquid de persecutionibus legimus, de singulorum laboribus atque haereticorum, ut videtur, a Christianis persecutionibus afflictorum narrari videtur. Singulorum vero persecutiones etiam post annum 311 velut imperatore Iuliano factas esse atque haereticos quarto et quinto saeculo persecutiones passos esse certum est[1]), ita ut Macarii aetatem his rebus confisi etiam in quintum saeculum deducere possimus. Denique, de Macarii aetate ex locis allatis certum quiddam colligi non posse te intellegere confido. Tamen terminum temporis habemus, post quem aetas scriptoris nostri statuenda sit. Macarii fratres coenobitarum more vitam egisse homiliarum epistulaeque magnae testimonia certo comprobant (cf. supra p. 30 sqq.). Coenobia vero primum a Pachomio anno 322 in Aegypto condita in Arabia Asia Syria quacumque in regione Macarii sedes fuit, vix ante finem quarti saeculi, quin etiam fortasse quinto demum saeculo fuisse possunt[2]). Quae cum ita sint, nisi eis, quae in homiliis epistulaque de Christianorum persecutionibus atque de monachorum vitae ratione proferuntur, Macarium, homiliarum auctorem non ante finem quarti saeculi, fortasse quinto demum saeculo floruisse recte iudicabimus.

Antequam hanc quaestionem perficiamus, uno quidem verbo, quem locum inter theologos Macarius teneat, demonstrare liceat. Hanc rem cum fusius explicare plane alienum a proposito nostro sit, tantum dicamus Macarium iis monachis, qui doctrinae suae mysticam quandam vim intulerunt, quasi facem praetulisse[3]) atque in eorum mo-

1) cf. e. g. Rufin. hist. eccles. II 2.

2) hoc me benevole docuit N. Bonwetsch, quem de hac re consului.

3) de hac re conferas Stoffels, Die mystische Theologie Makarius des Aeg. Bonn 1908, Foerster Jahrb. f. deutsche Theol. 18 (1873) p. 439 sqq.

nachorum numero habendum esse, qui Christiani salutem in perfectione animi per gradus acquirenda constare asseveraverunt [1]).

Macarium igitur, homiliarum auctorem, plane diversum esse a Macario Aegyptio neque quicquam praeter nomen cum illo commune habere ex eis, quae adhuc conquisivimus, tibi persuasum esse confidimus. Qua re confecta restat, ut ostendere conemur, quomodo fieri potuerit, ut et homiliae et epistulae auctoritati Scetici abbatis adscriptae sint. Etsi vix in animo auctoris, quem homilias non ipsum conscripsisse verisimillimum est, fuit, ut homiliae trans fines monasterii pervulgarentur, tamen abbate mortuo factum est, ut homiliae a fratribus monasterii propter sapientiam et pietatem plurimi aestimatae atque iterum iterumque descriptae in alia monasteria transferrentur. Ubi primum autem homiliae Macarii nomen prae se ferentes in regiones pervenerant, in quibus verus homiliarum auctor ignotus erat, facile fieri potuit, ut eae quasi auctore carentes Macario illi, qui magna auctoritate apud monachos illius regionis florebat, tribuerentur. Sic ad Aegypti quoque monachos delatae esse videntur tempore, quod cum quidem certo circumscribi nequeat, tamen ante sextum saeculum hoc factum esse veridissimile est. In Aegypto autem cum verus homiliarum auctor ignotus esset atque homilias a Macario quodam conscriptas esse constaret, nihil verisimilius est quam homilias adscriptas esse celeberrimo illi Scetico abbati, cuius fama non solum per Aegypti fines floreret, sed etiam a viris religiosissimis, qui multi ex omnibus orbis terrarum partibus, ut praeclaras virtutes monachorum asceticas cognoscerent, in eremos Aegypti convenissent, in terras occidentis solis delata esset. Quod eo facilius fieri potuit, quia multa et praeclara apophthegmata Scetici abbatis sapientiae atque pietatis plena inter monachos Aegypti magna auctoritate vigebant. Sic evenit, ut omnia scripta Macarii nomen ferentia et homiliae et epistulae Macarii Aegyptii auctoritati

1) Plura legas apud Harnack Dogmengesch³ II p. 421 sq.

tribuerentur utque inde ex illis temporibus homiliae et epistulae pro Macarii Aegyptii scriptis haberentur neque quisquam de hac re dubitare auderet, donec Casimirus Oudinus neque multo post Ioh. Sal. Semlerus primi argumenta collegerunt, quibus auctoritas abbatis Scetici in dubium vocabatur. Hos viros doctos recta via processisse dissertatione nostra confirmasse nobis videmur.

---

Quaestiones de epistula latina vulgo Macarii Aegyptii auctoritati adscripta, ad quam Gennadii verba supra (p. 25) commemorata referenda sunt quamque ex apophthegmatibus Macarii Aegyptii consarcinatam esse demonstrare conati sumus, unacum commentatione de tractatu Pseudogregoriano ‚de instituto Christiano' vulgo inscripto (Migne P. G. t. 46, p. 288 sqq.) tempore haud ita longo in publicum prodibunt in opusculorum serie, quae inscribitur „Neue Studien zur Geschichte der Theologie und Kirche, herausgegeben von N. Bonwetsch und R. Seeberg", quo loco tota dissertatio germanice versa edetur.

---

## Vita.

Natus sum Carolus Flemming idibus Nov. 1887 in vico Hannoverano, cui est nomen Colenfeld, patre Hugo matre Elisabeth, quam superstitem esse gaudeo. Fidem profiteor evangelicam.

Postquam inde ab anno 1897 gymnasium Leopoldinum Detmoldiense per novem annos frequentavi, maturitatis testimonium adeptus vere anni 1906 Bonnam me contuli, ut studiis philologicis et historicis me darem. Per bis senos menses ibi versatus Gottingam migravi ibique Georgiae Augustae usque ad hunc diem civem me fuisse gaudeo.

Docuerunt me viri doctissimi Bergbohm, de Bezold, Bickel, Boehmer, Brinkmann, Buecheler †, Clemen, Elter, Litzmann, Loeschcke, Nissen, Ritter, Sell, Solmsen †, Zorn, Bonnenses; de Bar, Baumann, Beyerle, Bousset, Brandi, Busolt, Ehrenberg, de Hippel, Koerte, Lehmann, Leo, Lochte, Müller, Oldenberg, Pfuhl, Pohlenz, Schoen, Schroeder, Schwartz, Verworn, Viertel, Wackernagel, Weissenfels, Wendland Gottingenses.

Seminarii regii philologorum per bis senos menses sodalis fui; ad exercitationes archaeologicos Koerte, Loeschcke, Pfuhl, ad grammaticos Wackernagel, ad historicos Busolt, Ritter, ad philosophicos Baumann me benigue admiserunt.

Quantum magistri mei de me meriti sint, semper grato animo servabo, imprimis vero M. Pohlenz debeo gratias quam maximas, qui in hoc opere conficiendo benignissime me adiuvit. Nec tacendum mihi videtur, quantum Georgius Pasquali amicus hoc opusculum consilio et opera

iuverit. Deinde pietatis officium mihi esse videtur hoc loco gratias referre illi viro, qui erga me patre orbatum patria benevolentia semper usus optimum fautorem studiorum meorum se praebuit, Rudolfo Otto.

Denique me societati philologorum Bonnensium et Gottingensium cum fructu et gaudio interfuisse libenter hic confiteor.

iuverit. Deinde pietatis officium mihi esse videtur hoc loco gratias referre illi viro, qui erga me patre orbatum patria benevolentia semper usus optimum fautorem studiorum meorum se praebuit, Rudolfo Otto.

Denique me societati philologorum Bonnensium et Gottingensium cum fructu et gaudio interfuisse libenter hic confiteor.

